



MEMORIA  
RUDOLPHI  
VVENDELINI  
POSTERITATI COMMENDATA

MARCO FRIDERICO VVENDELINO,  
Gymnafij Anhalt: Rect: Patre: nec non alijs Fau-  
toribus, Amicis & fodalibus,

*Qua utilia quedam & necessaria continentur monita, de cursu stu-  
diorum pueritiae & adolescentiae rectè dirigendo.*

SERVESTAE

Typis ANDREÆ BEZELII,  
Anno, M. DC. XXXV.



**M**usa loquax olim, tristi cum funere Princeps  
Vel Civis merfus, cur modò muta files?  
Liber erat *calamus*, vox libera, libera dextra,  
Libera mens olim, fons quoq; liber erat.  
Omnia nunc hærent, *calamus*, vox, dextera, mens, fons:  
Omnia ceu duro vincula adamante jacent!  
Tot misero imposuit tua mors mihi vineula, *Fili*,  
Vincula vix ullo dilanianda die!  
Vincula quid dico? Gelido prope funere merfit  
Impactum hoc mihi quod funere vulnus erat.  
Ite igitur *numeri*: *numeros* ne poscito, *Fili*:  
Sunt mentis *numeri* liberioris opus.  
Quas dolor, extra *Artis numeros*, sine pumice natas  
Indulgit voces, accipe, *Nate*, Patris.



FILII MEI, RUDOLPHI VVENDELINI,

memoriam vitæ mortisq; breviculâ narratione posteri-  
tati commendaturus, pioſq; *Manes* ultimo paternæ pie-  
tatis officio proſecuturus præfari veniam necceſſe non  
habeo. Nemo enim hoc vitio mihi verterit *Pater*, nemo *Fil-*  
*lius*, nemo *Homo*. De *Patre* ſecurus ſum: Quia γονεὺς τέκνα φι-  
λοῦται ὡς ἑαυτοὺς· καὶ γὰρ ὅτι αὐτῶν οἶον ἔτι πατρὶ τὸν ἑαυτοῦ. *A-*  
*mant*, inquit *Philosophus*, *parentes filios suos, ut se ipsos: qui*  
*enim ex ipsis sunt, quasi alteri ipsi sunt, non nisi separatione distin-*  
*cti.* A *Patribus* verò pietatem hanc jure ſuo exſpectant *Filij*,  
ij præſertim, quibus brevior lucis uſura contigit, & qui ſu-  
perſtites relinquunt *Patres*: quibus ut adfectus vitæ quacun-  
que ratione conſervandæ curam præſcribit: ita & memoriæ,  
ſi honeſtè & cum laude tranſacta ſit vita, ad ſeram poſteri-  
tatem transmittendæ, & feſtinatæ mortis hac quaſi imagine  
immortalitatis compensandæ partes imponit. *Homo*, niſi ab  
humanitate alienus, mihi, opinor, non obſtrepet: cum tam  
ſit nihil humanum, quàm mortalitatis humanæ meminiffe  
& ad immortalitatem adſpirare, occupatoſq; morte è mor-  
tis faucibus, ſi quâ ratione poſſit fieri, eripere & viventibus  
redonare.

Quicquid igitur jam nunc molior, pietas *Patris* jubet,  
*Filij* juſ flagitat, & *Homini* mihi humanitas imperat. Oſten-  
tationis aut vanæ præſumptivæ cauſas procul habeo: qua-  
rum ſi quis me vel ſuſpicionem, vel inſimulationem gravarit, in-  
vidiæ vel inhumanitatis ſeipſum vel ſuſpectum reddet,  
vel inſimulabit.

Natus mihi RUDOLPHUS MEUS, anno ſupra milleſi-  
mum Sexcentiſimum ſexto decimo, Aprilis XXVII, ante  
ominofas & calamitoſas *Germaniæ* noſtræ turbas, *Pacis filius*,  
qui tamen ætatem inter horrida *Europæ* totius & *Germaniæ*  
potiſſimum bella exegit, & non niſi nunciam futura pacis  
famam, ſub ultimam vitæ Cataſtrophem, exaudivit, nullius



ecce maore, quàm humanioris literaturæ tandem & *Matri*  
vinculis erupturæ actus desiderio.

Erant in *puero* non obscura bonæ indolis indicia, excita-  
tus animus, læta mens, ingenuus vultus, corporis agilitas,  
blanda affabilitas & huic ætati non adeo frequens callidi-  
tas. Etsi non adeo firma erat valetudo, quam subinde febrile-  
les quidam æstus afflixere, præcipuè sub quartum annū, qui  
emortalis futurus etiam Medicis videbatur, ob continuum  
& in horas invalescentem æstum aliaq; *συνίωμα*. Ego ta-  
men non tam de corpore, quod *Matri* plusquam anxie *Me-*  
*dicisq;* permisi, quàm de animo curando sollicitus quinquen-  
nem, non ut *Amilcar* olim novennem *Annibalem* ad *Romani*  
*Populi* odium, sed ad *Musarium* quali jure jurando aeger amo-  
rem, annuente & ad hoc me vorum invitante indole. *non*  
*on* Cum igitur fari jam & balbutire occiperet, facto quasi  
præludio, experiri vires cepi, primas illas & propemodum  
confusas infantis voculas linguis, præter vernaculam, quæ  
natale solum quasi sponte sequi amat, in eruditorum circo  
honoratis initiandas ratō, *Latinam, Hebraicam & Græcam* pu-  
ello commendavi. *ALatinā* initium feci, cui *Hebraicam* sub-  
junxi: illiusq; primā culturam pædagoگو demandavi, hujus  
mihi reservavi: etsi omnem à me pendere pædagogia volui.  
Nondum elapsus erat nonus ætatis annus, ecce fructus præ-  
coces, satis uberes. De *Latinā & Græcā* linguâ ut nihil di-  
cam, *Hebraicum* Veteris Testamenti textum non legebat  
tantum expeditè, sed & satis commodè historias interpre-  
tabatur pleniore & faciliore consignatas stylo. Non poterat  
sine lacrymis *Nepotulum* audire Avus maternus, reverendus  
& doctissimus Vir, *Petrus Schumannus*, Ecclesiæ Dessaviensis  
Antistes gravissimus: versionem sive *vernaculam* sive *Lati-*  
*nam* flagitares, perinde erat. Crevit exinde in *puero* discen-  
di ardor, ut solet, post feliciores primæ ruditatis expugnā-  
da conatus, doctorumq; laudes & hortatus.

Quartus



Quartus decimus iam ibat annus, cum prima hæc rudimenta pueritiæ incrementa cepissent felicissima, & è facto fundamento moles exurgeret operis certè nō contemnendi aut vulgaris.

Tum enim sine interprete DEUM in Veteri Testamento *Hebraicè*, in Novo *Gracè* loquentem intelligebat, & *latinè* satis commodè *hebraica* & *græca* interpretabatur, pluribus Utriusq; Testamenti libris *hebraicis* *græcisq;* semel iterumque perlectis.

Ad nos tum venerat Patriarchæ Constantinopolitani *Cy-rilli* latina confessio, quam una cum suo tum condiscipulo, *Johanne Coppenio*, Consultissimi Viri, *Johannis Coppenij*, Consiliarij Anhaltini, Dni. amici & compatri mei honoratissimi filio (quem fidissimū in omnibus pueritiæ & adolescentiæ studijs *Achatē* habuit) *gracè* ita feliciter reddidit, ut *gracè* scientibus planè pleneq; satisfecit: quod ipsum quoq; anno M. DC. X. ferè eadem ætate, meus olim *Genevæ Allobrogum* discipulus, *Ludovicus Huttenus*, nobilis Francus præstitit: qui è ternis orationibus, quas de Principis officio Illustrissima Principum Anhaltinorum *Triga*, pueritiæ vixdum egressa limitem, publicè, Senatu Populoq; *Genevæ*: admirante & applaudente, memoriter habuit, tertiam *gracè* reddidit felicissimè, quæ typis descripta *Genevensibus* etiamnum exstat.

Cur verò *Hebraicam* & *Græcam*, linguas quasi vernaculas meo esse Filio voluerim, si, amice Lector, rogas, hoc à me responsum habe. Votis meis destinaveram *Filium* Theologicæ Professioni, sive *Ecclesiastica* illa tandem, sive *Scholastica* esset futura: quâ qui rite defungi se posse, sibiq; & adversarijs, nisi forte in *versionem* aliquam, hoc est, *Ecclesiasticam Interpretationem*, compromittentibus, sine linguarum harum notitiâ & ope, satisfacere opinantur, meo quidem iudicio admodum falluntur. *Authenticam* verbi Divini editionem nul-



Iam habemus, nisi *Hebraicam* Veteris, & *Græcam* Novi Testa-  
menti. Ut verò maximè linguarum harum notitiã carere  
*plebs Ecclesiastica* possit: certè *Doctores* ipsos, quos longe alti-  
us parest assurgere, carere commodè & sine ingenti scrupu-  
lo posse, nemo mihi facile persuaserit. Verbi divini inter-  
pretationem injungit *ijs vocatio*, spondet *professio*. Quã verò  
fronte *professionem* hanc jactant, qui loquentem Deum ipsi  
non intelligunt, hoc est, qui *græcè & hebraicè* nesciunt: qui  
toti ab aliorum, & hominum quidem in errores, proh dolor,  
nimis proclivium, verbis pendent: qui, ubi à *versione* ad *au-  
thenticam editionem* provocatur, (quod sanè in singulis licet  
periodis) ne hiscere quidem contrà possunt, aut fidenter au-  
dent. *Lovanij* gubernator, ut narrat *Andreas Valerius*, He-  
braicæ linguæ in *Academiã* illâ Professor, ad epulas invita-  
verat aliquando *verbi divini ministrum & Sacerdotem pontifi-  
cium*. Inciderat fortè controversia de loco *Gen. 3, v. 15*. utrum  
*ipse* an *ipsa* legendum esset: ubi *Minister* ad fontes provoca-  
bat, & à se stare *hebraicam veritatem* affirmabat. Audacula  
hæc erat affirmatio: quæ etsi vera erat, defendi tamen ab  
homine *hebraicè* non docto haud poterat. Cum enim præter  
omnem expectationem *Sacerdos* ad manum haberet *hebrai-  
cum* codicem & *Ministro* exhiberet, quasi attonitus ille ob-  
stupuit, & cum legere, ad quem provocaverat, textum non  
posset, tandem ad *Batavos* provocavit, à quibus ita se edoctũ  
affirmavit *Vir bonus*. Hi *Triarii* erant. At, bone Deus, quàm  
imbellis hæc manus in prælio theologico! Hunc sequi du-  
cem necesse habeat omnes illi *Doctores*, qui loquentem De-  
um non intelligunt: quibus, si acres & eruditi obtingant ad-  
versarij, qui ad ipsam *Spiritus S.* linguam provocent, non nisi  
ad *humanae versionis* vel *authoritatis* præsidium tandem confu-  
giendum: & frustra quidem: nisi consentientes habeant ad-  
versarios, quibus extorqueri consensu nullo jure potest. Quis  
enim te cogat *Græculus*, ut, quando visum ei commodum,  
judicem,



judicem admittas vereris Testamenti *versionem Græcam*? Quis  
*Judeus*, ut ejusdem *versionem Germanicam* à Synagogâ profe-  
ctam pro controversiæ normâ tibi obtrudi patiaris? Quis *Soc-*  
*inianus*, ut Novi Testamenti *Germanicam latinamve* Interpre-  
tationem in Scholis ipsorum non ita pridem natam veneris-  
ris? Quis *Pontificius*, ut *vulgatae versionis*, citra contradictionem,  
ubiq; te submittas? Quod verò tibi fieri hac parte nolueris,  
quâ quæso æquitate ab istis requires? Invitis, inquam, nullo  
jure vel unicus *humanae versionis* obtrudi potest versiculus. Ad  
*hebraicum græcumq;* textum ubiq; admittenda provocatio.

Aut igitur ex arenâ theologicâ cum ignominia profugi-  
endum, aut in eam non descendendum, nisi vel sanctarum  
linguarum te gladio accinxeris, vel in adversarij ignorantia  
spem posueris, vel deniq; provocationis ad *authentice editionem*  
securus fueris. Quæ cum ita sint, miror equidem pruden-  
tes esse viros, qui *Græca & Hebraica* linguæ studia iis, qui  
*Sancto* destinantur *Ministerio*, minus esse necessaria, minusq;  
in Scholis urgenda putent: quod ad rusticos nec *Hebraicas*  
nec *Græcas* conciones unquam sint habituri: qui eodem ar-  
gumento à *latina* linguæ studio arcere eosdem *Ministerij* sa-  
cri candidatos possent: quia nec *latinas* habitari sunt concio-  
nes. Ita certè satis grata scholis facturi essent otia, & probatu-  
ri instituta *Anabaptistarum*, qui & straminis sectores ad sug-  
gestus Ecclesiasticos admittunt.

*Themistocles* cum ex *Græciâ* ad *Persarum* Regem confugis-  
set, de arduis cum eo negotijs acturus adduci in conspectum  
Regis prius noluit, quàm *Persicam* linguam, quamvis adulti-  
or jam, didicisset, ut *Persicè* loquentem Regem sine interpre-  
te ipse posset intelligere & respondere tutius. Et tu, *S. Mini-*  
*sterij* candidate, *Altissimi* nomine functurus legatione de ad-  
discendâ Domini tui linguâ non cogitabis aut laborabis?  
Plura hanc in rem disserere supersedeo. & Lectorem remitto  
ad clariss. Dn. *Sixtini Amama* supplicem parænesin ad Syno-  
dos



dos, Episcopos & Superintendentes Ecclesiarum Protestantium, de excitandis sanctarum linguarum studijs: quâ Theologiae studiosum praesidio Hebraeae Graecaeque linguae, absque magno professionis detrimento & dedecore, carere non posse nervose ostendit, adductis in medium plurimis & rationibus & magnorum Theologorum suffragijs. Rogas causam, inquit Lutherus, cur religio nostra sic derideatur? Non alia est quam linguarum ignorantia. At qui hic nullum nisi a notitia linguarum expectes subsidium. Tantum obtinuit gravissimam suam paranesi doctissimus Amama, ut eam motae provinciales Synodi Belgicae, Frisicae, Leovardensis, Suid-Hollandicae & Noort-Hollandicae, nec non Ultrajectina decreverint, ad S. Ministerium deinceps adhibendum esse neminem, nisi, praeter testimonia Senatus Academici & Theologiae Professorum, exhibeat etiam testimonia Professorum Hebraeae & Graecae linguae, quibus doceat, se in linguis istis eos fecisse saltem progressus, ut originalem Veteris Novi Testamenti textum modiocriter possit intelligere, nisi etiam in classe, cuius examini se offert, ejus rei specimen edat. Idem in Gallicis Ecclesijs receptus mos est. Utinam in Germanicis quoque nostris e fiet! sed satis de ratione instituti mei.

Erit forsan, qui, quâ viâ ad hanc linguarum gloriam Filius adolescentulus, me duce, grassatus sit, scire audeat. Non gravabor digito monstrare. Brevis, certa & tuta mihi semper arrisit: non quam vel Impostores, vel suspecti Artifices nonnulli jactant: quam vel ipsi nunquam inierunt, vel penitus ignorant, vel certè non sine ingenti periculo monstrant.

Johannes Trithemius olim scripsit, in manibus se grande opus habere quatuor absolvendum libris, quibus maxima, nec scientibus stupenda & incredibilia, a seculo nunquam audita sit revelaturus Tertius, inquit, liber docet Artem, per quam possum hominem idiotam scientem tantum linguam maternam, qui nunquam novit verbum latini sermonis, in duabus horis docere scribere, legere & intelligere latinum satis ornate & disertè, quantumcumque



unq̄, voluerit, ita ut, quicumq̄, viderint ejus literas, laudent ver-  
ba, intelligant latinè composita. Sanè brevis hæc via, quâ nulla  
in scholis unquam audita brevior, nulla æquè brevis. An cer-  
ta sit, equidem nescio: Esto tamen penes Autorem fides. Tu-  
tam ut esse credam, nemo mihi unquam persuaserit, nisi pla-  
nè divinam & miraculosam esse ostenderit: quam equidem  
à *Trithevio* non exspecto, quem Monachum fuisse novi, de  
Magiâ suspectum & virtutis verè thaumaturgicæ expertem.  
Non admittit hanc viam *Natura*: non promittit *Naturæ* mi-  
nistra, *Ars* vera. Fac intra duas horas omnia latina vernacu-  
læ nostræ, hoc est, *Germanicæ*, quam rusticus calleat, linguæ  
respondentia vocabula recitari vel prælegi posse, (quod ta-  
men fieri haud potest.) Anne illicò omnia rustici capiet me-  
moriam? Sanè non puto, Fac tamen posse capere: Anne fle-  
ctere illicò norit omnia tam nomina quàm verba? Nec hoc  
puto. Fac nosse: An congruè jungere singula & quibusvis  
animi conceptibus exprimendis è vestigio aptare poterit?  
Multo minus hoc puto. Fac tamen & hoc posse: An latinè,  
hoc est, ornatè enunciare poterit omnia? A *Etatem* hæc re-  
quirere totam doctis videntur, non unam alteramq̄; tantum  
horam. Eat igitur *Trithevius*, & cui fidem faciat, alium qua-  
rat. Christianum vix inveniet. Aliquanto plausibilior supe-  
rioribus annis fuit *Impostoris* non *Nemini* promissio, quâ  
principibus & doctis illudit pluribus. Sex ille, ut audiui, se-  
ptimanarum defraierat spatium ingenio non planè stupido,  
intra quod linguæ latinæ usum promiserat homo omnium  
linguarum rudis: sed promiserat, non præstiterat, neq; præ-  
stare poterat. Etsi aliquid tantillo præstari posse spatium non  
inficior: sed ab homine, qui ipse probè noverit, quod docere  
alios voluerit: ab homine, inquam, qui, quod ipse novit,  
docere alium possit: quod cujusvis non est. Mitto igitur &  
hunc *Impostorem*, Pluris facio *linguarum claves*, quas proxi-  
mis annis vidimus plures, *latinas & græcas*: de quibus multa

B

&



& magna promittunt Autores, orbique de hoc gratulantur  
recens invento thesauro: cujus sibi gloriam vindicant *Hispa-*  
*ni*, dubiamq; *Hispanis* palmam faciunt *Germani*. Omnia linguarum  
live *Latine* live *Græcæ* vocabula in aliquot sententiarum com-  
pacta sunt Centurias, quas qui interpretari *Marte* suo nove-  
rit, maximam linguarum difficultatem superasse creditur. Equi-  
dem labores & conatus hosce juvandi pueritiæ & adolescen-  
tiæ studia minimè contemno: etiam operæ in istis *clavibus*  
inesse pretium largior: etsi festinatæ *per claves* istas institu-  
tionis specimen videre mihi hactenus non contigit. Interim  
doctorum pace dico, etiam sine *clavibus* istis ad eandem metam  
aliam nos non minus compendiosam, imò fortean compendio-  
siore quoq; viâ posse pervenire. Si, qui planè rudis est, pri-  
mum discendi in *claves*, illas impetum dederit, ad linguam  
quod faciat, præter vocabulorum notitiam, vix quicquam  
aliud auferet. Ad hanc verò primam molestiam devorandam  
nullam mihi opus *clavis*, ad manusi sint omnis generis usitata  
linguarum vocabula certo & succincto digesta lexico, quod  
in tantam *lexicorum, nomenclatorum & vocabulariorum* copiam  
adhuc desidero. Hanc vocabulorum Sylvam citius ego to-  
tam memoriæ & ingenij mediocri adolescentulo me im-  
pressurum puto, singulari quodam, puerili & penè ridiculo  
memoriæ adminiculo, quam *Clavis* integræ partem mediâ  
assiduo soloq; interpretationis labore. Ausim, deposito pi-  
gnore, cum quovis contendere. Et hoc addo: vocabulorum  
notitiam è *lexico* paratam longè certiore & expeditiore  
fore alteram, quam assidua *clavis* dederit interpretatio. Inte-  
rim nec quotidianam hanc interpretationem contemsero,  
si prior ille labor præcesserit, & aliqua flexionum (quas vul-  
gò *declinationes & conjugationes* appellant) notitia accesserit.  
Erit enim frequens illa & quotidiana interpretatio veluti  
ruminatio quædam, imò quasi secunda aut tertia concoctio,  
quâ in sanguinè & solidam notitiæ substantiam primam mu-  
tabun.



tabuntur rudimenta. Haecenus non nisi materia linguae sive  
*Latinae*, sive *Graecae*, sive *Hebraicae* &c. Ad formam accedo, qua  
a flexione, constructione & ornatu accipit. Flexione & con-  
structionem praecipis suis regit *Grammatica*, quam, praeter  
Aristerminos, qui *latini* vel *graci* plerique sunt, non nisi  
*germanicam* tyrunculis commendo, eamque brevissimam: Fa-  
cilis enim & jucundius multa usus docet & praceptoris  
conversatio familiaris, quam decumani *Grammaticorum*  
commentarii, qui primo intuitu ardorem adolescentiae ex-  
tinguunt & plerumque frustra memoriam fatigant.

Ad ornatum venio, quem in lingua latina *Latinitatem* ap-  
pellamus & in phrasi requirimus, quam priscam & puris scri-  
ptoribus usitatum volumus. Haec ab ijs, qui primas *Gramma-  
ticae* constructionis difficultates sunt eluctati, adeo rigide,  
praesertim in versionibus, est exigenda, ut non temere con-  
donandam putem loquendi formulam, nisi quae priscam nita-  
tur autoritate; imo ne verbum quidem. Quo autem via  
compendio ad hoc ascendi possit fastigium, quaestio est non  
negligenda.

Communem Scholarum praxin si consulas, his ferè gra-  
dibus ad metam hanc contendere intelliges. *Latinus* Autor  
germanice redditur: *Phrasae* ex eo inculcantur & annotan-  
tur: *Scripta germanica* ad imitationem proponuntur: vulga-  
res *phrasium libelli* commendantur. Recte quidem haec fieri  
non nego: totam vero compendij rationem, vel praecipuam  
saltem in uno ex omnibus hisce, aut omnibus simul consiste-  
re non arbitror. Desidero *Phrasiologiam Latino-Germanicam*  
in tanto earum numero: desidero assiduos in eadem legen-  
da, relegenda, ediscenda, repetenda & quotidianis exerci-  
tij sterenda labores. Maximum in hoc & opere & labore co-  
pendij momentum: quod tamen a plerisque modo Scholis  
exulat: quae causa, quod vix centesimus ex ijs ad altiora sub-  
sellia, etiam post annum aetatis x. xxi. xxii. seculum efferat



ornatam, puram & priscae Latinitatis æmulam dictionem: euf  
adultiore tandem impendenda ætas. Ecce enim quæso, quot tri-  
ennij spatio (quod plerunq; in supremis trivialium schola-  
rum curijs exigitur) *latini* Autores toti præleguntur, expli-  
cantur? Forte unus epistolarum *Ciceronis* ad familiares scri-  
ptarum liber; oratio una & altera, si aliquanto sit prolixior:  
*Virgilij* aut *Ovidij* liber unus & alter; *Terentij* Comœdiæ bi-  
næ, ternæ. Hic totus est *Latinitatis* apparatus; hinc omnes  
promendæ elegantiae styli exercitijs inferendæ, & ad sermo-  
nē familiarem transferendæ. Si quibus forte laudabilis am-  
bitio privatos subdit stimulos, (qui tamen in hac ætate pau-  
ci sunt) & ad lectionem uberiores invitât studium, ut ut u-  
nius & alterius *latini* Autoris accesserit lectio; certè exigua  
admodum toti *Latinitatis* per tot diffusæ volumina hæc erit  
portio, eaq; minus explicata tyronum judicijs. Quot enim  
illi elegantias, Magistro absente vel tacente, velut oscitan-  
tes transmittunt? Quot non intelligunt?

Alia igitur nobis hæc via indaganda, eaq; *brevior, certior,*  
*tutior;* quam dudum nobis non digito saltem intento, sed  
& pede præeunte magni viri monstrarunt: qui, collatis labo-  
ribus, (nec enim unius hominis hic labor) immensum illud  
*Latinitatis* pelagus tot intercisum sinibus & impeditum an-  
fractibus emensi omnes ejus divitias in unum quasi cumulū,  
labore plusquam *Herculeo*, congefserunt & posteritati uten-  
das fruendas dederunt. Exstat ille cumulus non in angustiâ  
domo, sed in patente foro, eaq; *Romano*, per tria spissa volu-  
mina diffuso; quas tamen paucas dixeris pagellas, & , si cum  
patientissimo *Scriptorū latinorum* contendatur oceano, quasi  
angustum fretum. In hisce voluminibus, veluti spatio-  
sissimas orbis plagas in tabellâ, cognoscere & admirari no-  
bis licet, quod in tot Autoribus fortean paucissimis liceret  
aut liberet, omnem priscae *Latinitatis* apparatus.

Et si verò hi *Herculis* cothurni pueritiæ & adolescentiæ  
apti



apti non sunt, quã & imbecillẽ mole opprimerent, & latinẽ  
nondum scientem nil juvarent: tamen, cum judicio extra-  
ctã quasi medullã omnis elegantiz & idiotismi latini, in epi-  
tomen redigi non dispendiosam & latina linguã rudibus  
aptari facile possunt, additã latina phrasis germanicã inter-  
pretatione, cum indice germanico locupletissimo, ad quod  
velut asylum, quotiescunq; hæsitaverint, recurrant tyruncu-  
li, sive latina phrasis germanicẽ, sive germanica latinẽ sit red-  
denda: quos in usus epitomen requiro non dispendiosam &  
indicem non nimis contractum. Alterutrum si desit, mole-  
stas subinde remoras currentibus iniici necesse est: utrumq;  
verò è voto meo expeditum inter tot libellos publicos non-  
dum vidẽ. Quã causa quod mihi de Filij mei studiis promo-  
vendis per quã sollicito hoc onus imposuerim, non sine  
magno progressuum ejus commodo. Siquidem hujus admi-  
niculi continuo usu, anno ætatis quinto decimo, quasi fami-  
liarẽ habebat prisca puraq; Latinitatis Geniũ, ita ut quã lati-  
na, quã barbara & sine autoritate nata phrasis esset, probẽ in-  
telligeret, & veluti scopulũ fugeret barbarismum. Neq; tamẽ  
ab Autorum lectione eum abstraxi, vel eo saltem sine, ut,  
quã jam didicerat, recurrentia aliorum memoriã imprimeret,  
& nova, si quã occurrerent, adjungeret: maximẽ verò ut  
connexionis & concinnæ vocum ordinationis paulatim addisce-  
ret artificium, quod à solã lectione Autorum & in-  
formatione Præceptorum vivã expectari potest. Hoc cum  
ageremus, alias curas & lectiones aliquandiu seposuimus,  
ut omne studium, omnem laborem & curam huic uni im-  
penderemus: majora enim non videntur mihi progressuris  
impedimenta posse obiici, quã si cogitationes & labores  
ipsorum per varias lectiones & studia planẽ diversa simul dis-  
trahantur. Unum ut ἔργον agito: alia si adjeceris, non nisi πέρ-  
εργα sunt, quã vel animo serviant recreando, vel studiorũ  
jam antè tritorum memoriã roborandã. Semper mihi dis-



placuit illa multarum & diversarum lectionum complicatio & confusio in Scholis usitata, nimisq; pertinax veterum vestigiorum quamvis sinistre positorum amor: per quæ si & ego *Filium* meum duxissem, certe metam, quam anno ætatis XV. attigit, ante viceesimum haud attigisset, & forsan nec ipso viceesimo. Non igitur occultus est hic Scholarum morbus, nec occultum remedium: etsi, qui laborantibus id applicatum iret, huc usq; inventus nemo. Imò si quis *Solon* jam surgeret & hæc Scholis leges ferret:

*Lectioibus adolescentiam ne obruunt.*

*Lectioes tres quatuorve distinctas in unum diem, in unam septimanam vel mensem ne conferunt.*

*Plura simul ne inchoant.*

*Non vetera, sed optima sequuntur.*

*Compendia non dispendiosa sectantur. &c.*

Plausum theatri vix ferret. Jam enim obloquentes, imò obstrepentes audio. *His utimur institutis & moribus, quos à nostris accepimus Majoribus: quibus ex ignorantia tenebris ipsi emerferunt & nos extraxerunt; Quos ego ut suo abundare sensu facile patior, ita ut istis intercedam legibus nondum adducor.* Non enim ignorantia damnaret *Solon* Majores: sed seculi tantum nostri castigaret imprudentiam, vel certè invidiam, quod ad eandem metam breviorè & expeditiorè viâ adolescentiam deducere recusaret, quam in disciplinis linguisq;, & maximè in addiscendâ *Latinitate* tyronibus monstratam arbitror. *Claves* non nisi vocabularia sunt, eaq; confusa & thematū flexionibus impedita. Elegantiâ omnemq; prisca *Latinitatis* apparatus ab ijs qui expectat, fallitur. Præstat hunc Auctorum Lectio: sed laborioso multi temporis impendio: præstat, quam desidero, *Phrasologia* insigni compendio. Quis enim neget omnes gemmarum è toto orbe unum in cumulum aggestas species citius & facilius perlustrari cognoscisq; posse, quàm si è tot orbis angulis latebrisque

scri-



serutando demum sint conquirendæ & colligendæ? Et hanc Scholis felicitatem tam durus sit, qui porrò invidet? Hoc viæ compendium tam iniquus sit, qui ambagibus & erroribus immensis posthabeat? Non hic mihi in *Filium* fuit animus. Cum verò non scribere tantùm *latine*, sed & loqui voluerim *Filium* meum, idq; non nisi loquendi usum me assequi posse intellexerim, (doctissimos enim videas, qui omnes *Latinitatis* apices quasi ad unguem norunt, scriptisq; suis felicissimè inserunt, ad verba facienda ubi ventum fuerit, prope modum infantes esse) inter commilitones vernaculâ eî interdixi & severâ lege sermonis *latini* usum injunxi. Quod si in Scholis publicis & privatis obtineri posset, essentq; rarissima filiorum nostrorum cum domesticis aliisq; vernaculâ utentibus commercia, & colloquia cum commilitonibus & præceptoribus frequentissima, eaque non nisi *latina*, præsertim semper Moderatore aliquo, qui hærentes expediret & errantes moneret; quantos quæso biennii unius spatio progressus quasi ludendo & aliud agendo facturi essent? Cum videamus modò plurimos, qui à primâ pueritiâ, ad annû usque *xviii*, *latinis* operati sunt literis, ne unicam quidem latinam periodum, quâ animi conceptus ex tempore eloquantur, citra hæitationem proferre posse. Nimis, proh dolor, familiaris est hic morbus *Germaniæ* nostræ Scholis, non quidem solâ Scholarû, sed & educationis domesticæ culpâ; quâ tamen commendare in parentum multorû potestate non est; quibus privatos filios præceptores, eosq; *latine* linguæ scientes, domi alere, per rei familiaris angustias, non licet; neq; si liceret, copia omnibus doctorum pedagogorum fieri posset: cum hæc sermonis *latini* promptitudo inter hosce pueritiæ & adolescentiæ formatores valde rara sit avis. Sed ab hoc diverticulo in viam & ad *Filium* redeo, quæ unum solum q; linguarum studium in quartum & quintum

decimum



decimum annum non occupavit. Ad linguas accedere Artes, & in his *Logica* potissimum & *Rhetorica*: quarum non præcepta tantum (quæ ætatis hujus, si aliquantò excitatiora sint ingenia, ferè meta solet esse) ad unguem callebat, sed & usum in *genesi* & *analisi* totoq; judicio syllogistico ita feliciter urgebat, ut ad altiora & principaliora animum appulsuro hærerè in organicis hisce necesse non fuerit. Et in hoc quidem maximopere evigilabant curæ meæ. Admodum enim præposterè mihi tractare studia videntur, qui *logici* instrumenti rudes ad scientias & facultates illico transilire gestiunt: ubi velut ad scopulum impingentes hæsitant, quoties vel Artis occurrit terminus, vel è rationis fontibus eruendæ & judicandæ res veniunt.

Sed nec illorum probo institutum, qui in tricis & disputationibus *logicis* consenescent, & disputare de instrumento malunt, quàm eo uti: quod tamen non nisi ad usum est inventum. Fabrum quis non rideret, si in materia & formâ mallei cognoscendâ ætatem tereret & cudendo æri non adhiberet? Quis fabrum diceret, qui fabrilia non tractaret, aut nesciret tractare, solâ & sterili contentus speculatione? Et tamen nimis modò frequens est hic error, quo meum implicari *Filium* nolui, quem nec prolixis occupandum commentariis, in hac præsertim ætate & adultiore quoq;, nec *organo Aristotelico* distinendum duxi: cui explicando quindecim annos olim Professor quidam *Academicus* destinaverat: alius totidem ferè uni prædicamentorû prologo impenderat: quibus si nostros dedissemus filios formandos, forsan ante tricesimum annum *logicos* non habuissemus: vel certè nunquam: illâ quidem docendi discendiq; ratione. Erant enim ex eorum numero Doctorum isti, qui commentari in Logicam, non differere ex Logicâ, Artis esse opinabantur, Unde judicij verè *logici*, quod arguere & laudare Artificem posset, rara in spatiosis illis commentariorum campis existere



stiterere vestigia. Alium novi, qui quindecies Logicæ curriculum prælegendo absolverat, et ex tot annorum logicis laboribus tantum ipse docendo non didicerat, ut expedite Syllogismum struere, vel de structurâ judicare posset. Quanto felicior nostrorum temporum est adolescentia, imò pueritia, quæ in rationistheatro maturè quasi ludos edit & iudicio annos feliciter prævertit!

Erit forsitan qui *sectæ logicæ* Magistrum, cui meum addixi *Filium*, nosse aveat: *Aristoteles* ille, an *Ramus* fuerit? Mihi verò ut libera philosophandi ratio semper arrisit, et pestis studiorum Philosophicorum visa superstitiosa illa quorundam Philosophorum admiratio, quæ unius hominis *vejas dogmas*, veluti scopulis, ita affigit philosophantium mentes, linguas & calamos, ut ab iis vel minimum discedere nefas ducat: Ita nec *Aristoteli* nec *Ramo* mancipandum duxi filiū: etsi neutrum contemsi, vel iussi contemnere. Quicquid igitur mihi vel in *Aristotele* vel in *Ramo* occurrit, quod *Ariadneo* huic serviret filo concinnando, id selegi, retinui, probavi, *Filio* commendavi: non quia *Aristotelicum* aut *Rameum*, sed quia verum, quia utile, quia necessarium; verbo dicam, quia *Logicum* videbatur, & ad praxin, non ad jejunam theoriam, accommodatum. Hæc dum incautè nonnulli in chaos unum confundunt & adolescentibus propinant, hoc tandè consequuntur, ut propter difficilia multa (non tamè planè necessaria) etiã facilia assequi desperent, necessaria ignorent, quia non necessaria didicerunt, & ad primas, ut in Scholis loquimur, notiones seriùs accedant, quia in secundis diutius hæserunt. Quod in studio *Logico* sanè multis accidit, & meo *Filio* nolui accidere: cui, quod mihi olim mei Præceptores, inculcavi, *purus Logicus, purus asinus*. Cum igitur puero jam cetero necessaria impressissem, magnū me operæ pretiū in reliquâ & graviore institutione fecisse deprehendi. Hoc enim

C

ipsum



ipsum facilem mihi *Filiog*, gradum ad altiora & adultiora  
 fecit. Cum ad disciplinas jam deventum esset, quas nonnul-  
 li appellant *παιδείας*, insignes *πρωταδείας* hujus se ultrò inges-  
 sere usus. Etenim Memoria matrem esse *Methodum* in scho-  
 lis concessum confessumq; jam pridem, ejusdemq; quasi a-  
 viam *Logicam*, cui suos natales debet *Methodus*. Disciplinas i-  
 gitur earumq; materias, quas quidem me duce addiscere *Fi-*  
*lium* volui, ad *Logicam Methodum* & terminos adstrinxi sin-  
 gulas. Hinc Definitione, Causarum, Effectorum, Subjecto-  
 rum, Adjunctorumq; explicatione, distributione &c. ubi  
 thematum id passa indoles, nobis expedita omnia. Insignia  
 hæc erant memoria rerumq; cognoscendarum adminicula;  
 quæ ubiq; recurrentia *concretam*, ut loquuntur, nobis pepe-  
 rerunt *Logicam*, & quasi aliud agentibus divini hujus instru-  
 menti usum perpetuo inculcarunt, omnesque difficultates  
 terminorū familiaritate & *διδάσει ἐξηγητική* facile expedive-  
 runt. Conjunctis quoq; thematibus & quæstionibus contro-  
 versis idem organum ubiq; nobis applicatum: præsertim ubi  
 Adversariorum excipienda & elidenda erant tela, sive ab Ar-  
 te *Logicâ*, sive absq; eâ vibrata & in thesin directâ. Unde præ-  
 cipuæ Adversariorum exceptiones & instantiæ ad *Syllogisti-*  
*cas* redactæ formas non nisi Syllogisticè sunt enervatæ, ut ad  
 ipsa fundamenta discantis impetus penetraret, & Adver-  
 sarium sustinere logicis armis instructum maturè disceret,  
*Sophistam* quoq; è suis extrahere latibulis: quod quidem abs-  
 que formali disputandi ratione non nisi ingeniosissimi, &  
 qui uno quasi mentis obtutu omnes insidiarum latebras per-  
 videre, & imminetia prævidere & cavere pericula maturè  
 possunt, consequuntur. Neq; expectari hoc nisi à Veteranis  
 & in disputandi palæstrâ planè subactis, qui quasi *Cossicam* si-  
 bi pepererunt *Logicam*, potest.

Et hoc quidem ingressi sumus æquor anno ætatis quin-  
 to decimo, quo *Theologia* aggressi studium metam nobis qui-  
 dem



dem præfixam intra unius anni spatium discendo & repetendo quater attigimus. Est hoc quod in systematis mei *Theologici* præfatione indigitavi, cujus prima lineamenta, non tamen usq; quaq; tenui ducta calamo, destinaveram *Filio* meo ejusq; privatis commilitonibus. Ita autem comparata illa erant, ut justam totius *Theologiae Systematicæ* methodum perpetuis definitionibus, distributionibus, aliorumq; argumentorum, per singula nobiliora themata, evolutionibus illustratâ complecterentur: neq; unum hoc: sed & ἐξηγήσεις seu ἐκθέσεις quibus difficilia explanabantur & controversa enodabantur: ita quidem ut præcipuarum controversiarum, quæ hodiè in Ecclesia agitantur, status perspicuè formatus, thesis ex scripturâ & analogiâ fidei adstructa, antithesis Logicâ & Theologicâ resolutione destructa fuerit, eo compendio eâque facilitate, ut nec desiderari quicquam in illâ discendum ætate, nec amplius aliquid expectari, si maxime ad annum excurreret vicessimum, potuisse videretur.

Hoc *Theologiae* sanctæ stadium ita feliciter & velociter cum commilitonibus decurrit *Rudolphus* meus, ut sexto decimo anno quartum absolverit, & ex promptâ memoriâ omnia reddere præcepta, præcipua recensere veritatis fundamenta, & Adversariorum logicè resolvere argumenta potuerit. Nihil me amori tribuere, nihilq; in majus extollere, norunt doctissimi civitatis hujus viri, qui examinibus privatis arbitrio suo præfuerunt, nulloq; ordine ex universo systemate selectas ab adolescentibus exigi & reddi materias audiverunt. Utinam verò, utinam omnes *Theologiae* studiosi à primâ adolescentiâ eandem studii theologici inirent viam & constanter urgerent! Certè idonea nec Scholis, nec Ecclesiis unquam de futura essent organa.

Non deerant, qui existimarent in hanc ætatem vix posse progressus hosce cadere: difficiliora hæc esse studia, et præscriptæ *Theologiae* methodum, quàm ut quindecim vel sede-



cū annorum adolescentes possent capere: nec jam desunt, qui posse fieri inficiantur, quod fieri ego posse novi, quod factum vidi: quiq; rectius adolescentiæ putant consuli, si in vicissimum usq; annum rudimentis puerilioribus occupetur, & priscam è Scholis inferioribus simplicitatem ad sublimiorum subsellia secum efferat. Hanc si mihi superior aliquis in Scholâ publicâ legem ferret, equidem facile me submitterem, modò retardatorum progressuum & in ruditate diutius detentæ adolescentiæ in me culpa non conferretur. Sin *Filium* privatim informanti eandem ferret, & intercedere mihi nefas esset, saltem deprecarer, ne iniquior in *Filium* esse cogerer. Certum enim est, quicquid obloquantur, qui rei hujus periculum fortè nunquam fecerunt aut facturi sunt, hac studii theologicæ tractandæ methodo, si *ἐπιποδίωνης* accedat idoneus, cui docilia & saltem mediocria offerantur ingenia, unius anni spatio majores posse progressus fieri, quam in multis modò fiunt, & olim fiebant Scholis, quæ & me discipulum habuerunt, toto triennio.

Ad *Theologiæ* studium, sequentibus XVI, XVII annis, *Ethicam, Historiam & Physicam* singularibus in hos ipsos privatos usus comprehensas systematibus, bono cum Deo, adjunximus, quas intra hosce annos, repetitis simul priorum annorum laboribus singulis, (è manibus enim temerè non deponenda, quæ ire in habitum velis) ita feliciter absolvimus, ut corporum horum non ossa tantùm, quibus haud absimilia sunt præcepta nuda, sed & carnes & colores nativos in memoriæ & judicii theatrum introduxerimus. Poteram tū *Filium* è domesticâ Scholâ & illustri *Gymnasio ad Academiam* honestè dimittere, et, ut nonnullis videbatur, debuerã: quando suis absolvi numeris eruditio non nisi in *Academiis* posse vulgò creditur, & consummata quoq; doctrina sine *Academica* luce obscurior seculo nostro videtur. Etsi veteres *Sophi & Philosophi* nihil interesse crediderunt, undecunq; tandē vir-  
tus



tus & eruditio provenirent: rati internâ *Deas* hasce luce radiare, nihil splendore natalis soli egere. Interim de seculi iudicio & more iudicium mihi non sumo. *Filium* meum *Academis*, quæ non tam discipulorum copiâ, quàm doctorem famâ nobilitarentur, credere & mihi certum erat: etsi differre peregrinationem adhuc in alterum tertiumve annum consutum videbatur. Quas cunctationis huius causas habuerim, si forsan, amice Lector, quæris, præcipuas recensere haud pigrabor.

Et primùm quidem diutius domi me detinere *Filium*, incerta & suspecta valetudo iubebat, quam ab infantiâ satis difficiles afflixerant morborum paroxysmi: neque adultior ætas certiora satis fidæ valetudinis faciebat indicia: in primis verò occulta futuræ tabis semina subinde se videbantur prodere habitu corporis laxiore, non planè naturali calore, & tussendi conatu frequentiore.

Quid facerem igitur? Ad exteras Scholas festinarem & incertis exterorum auxiliis, si fortè implorare ea è latebris suis subitò erumpens corporis infirmitas ægrum cogeret, obicerem? Dissuadebat hoc affectus paternus & in primis maternus, qui etiam tuta, nedum intuta, solet timere. Accedit quod victus ratio maximè habenda fuerit, & huic, quod timebam, malo opponenda: quam apud exteros, vel arbitrariis remotis, plerunq; familiaris adolescentiæ intemperies, vel locorum etiam indoles sæpe nō admittit vel attendit. Et, si maximè ex voto curentur omnia, nunquam tamen parentum sollicitudo ita tranquillari patitur animum, ut, si quid fortè *Filius* valetudinis infirmæ suspectis apud exteros humanitatis acciderit, vel se pietatis, vel exteros humanitatis officio satisfecisse, sibi planè plenèq; persuadeat. Hic ne mihi tandem oboriretur scrupulus, nil præcipitandum duxi, & nil me peccasse ex eventu modò, proh dolor, didici.



A *Filio* cum cogitationes ad ea, in quæ incidimus, te-  
pora converterem, causa festinandi, & in media hæc bello-  
rum, quæ in annum ferè octavum decimum Germaniam no-  
stram quasi lento quodam igne crudeliter consumunt, in-  
cendia *Filium* coniecendi nulla occurrit. Quot enim nobi-  
lia ingenia *Martialis* hic furor perdidit, & ad infelicissimi  
belli societatem è *Musarum* castris abstraxit? Quoties docen-  
tium & discipulorum, per horrendas hæc bellorum tempesta-  
tes, dissipati cætus & in ultima coniecti pericula? Et hæc à  
consilio præcipitando me retraxit cogitatio: quod viderim  
castrorum olim toto cælo dissidentium jam quasi confusos  
limites, & in plerisque Germaniæ locis in unam ita coisse fa-  
miliam *Musas* & *Martem*, ut non nisi solis differre nomini-  
bus jam videantur. Quam scio ab optimis quibusque deplorari  
*αἰτιολογία*: etsi in privatas quoque familias jam irrepsit, initia  
nobis non animadvertentibus, & depositâ priscæ modestiæ  
memoriâ, in præsentis seculi mores tacitè consentienti-  
bus. Ut enim orbis olim se fieri *Arianum* non sensit, sed fa-  
ctum miratus est: ita in mores *Apeis* ivisse omnia prius sen-  
simus, quam ire: & jam serò deploramus, quod mutare am-  
plius haud possumus.

Sed nondum omnes detexi scrupulos meos. Cœpit jam  
ante aliquot annos publica illa omnis literaturæ sacraria &  
theatra infestare & funestare intemperies, me olim juvene,  
in *Germaniâ* nostrâ inaudita, quæ in locis nonnullis adole-  
scentiæ sua inter *Academicos* nomina recens professæ, præsti-  
to juramento receptæ & civitate *Academicâ* omnibusque ejus  
juribus donatæ per annum integrum iniquissimè exagitan-  
dæ & emungendæ nullum amplius modum novit aut sibi sta-  
tuit: quâ in filiis parentes ludibrio exponuntur: quâ strenui  
*Musarum* cultores ab ipso limine sæpius vel repelluntur, vel  
certè publicam lucem fugere coguntur, sumtus parentibus  
augentur, studia *Filiis* exosa redduntur, & desperata nonnun-  
quam



quam consilia subministrantur: ut malint nonnulli in umbrâ filios suos delitescere, quàm tanto ludibrio, impendio & periculo publicâ luce frui. Quorsum tandem malum hoc sit evasurum, prudentes facillè prospiciunt. Exarsit in id iustissimo dolore & Zelo, anno M. DC. XXI. *Rektor & Senatus Academiae Holsato-Schaumburgicae Rintbelensis*, quam in ipsa herbâ videbatur suffocatura pestis hæc vivis descripta coloribus in publico programmate, quod in *Belgio* recusum exhibet & *Franeckeranae Academiae* suffragio comprobatur *Sixtinus Amama*, in *Anti-Barbaro Biblico*. Nec me fugit & alibi proceres *Academicos* de hoc extirpando lolio jam pridem deliberasse, & remedia tentasse, quamvis irritò conatu. Altiores enim id egerat radices, quàm ut impetu primo revelli potuerit. Etsi, ut spero, successus non desperabunt, & postquam pacem afflictissimæ *Germania* divina redonaverit miseratio, coepto prius non desistent, quàm ex animi sententiâ perfecerint.

Sed & hanc cunctationis meæ causam habui: quod viderem nullo studiorum & progressuum detrimento *Serveste* Filium morari diutius posse, ubi nec librorum defutura esset copia, nec Præceptorum opera, sive facultati certæ animam esset addicturus, sive amantibus *Philosophiæ & Linguarum* se porro occupaturus. Mihi quidem, præ reliquis, *Theologicum* arrisit studiū junctū *Philosophico*: Unde *Hebraica Græcæq;* linguæ, necessaria utriusque adminicula, præmissi *περὶ ὀκνεύας*. Cum verò ad *Medicam* facultatem magis propendere *Filium*, quàm ad ullam aliam, intelligerem, facillè acquievi, meamq; voluntatem ad votum ejus lubens aggregavi. Ut enim coacta nunquam probavi matrimonia, ita nec studia, quæ maximè volentem & ultrò se offerentem requirunt *Minervam*. Igitur bono cum Deo, inter *Medicorum Filios* profiteri nomen, anno ætatis octavo decimo, eodemq; & *Mathesi* ardentius litare cæpit, autore & duce præstantissimo viro, Domino

Da-



*Danièle Ludovico*, Medico, Mathematicum & Logicæ in illu-  
stri Gymnasio Professore & Collegâ meo. In utroq. hoc stu-  
dii genere magno conatu tantos brevi fecerat progressus,  
quantos equidem, in medico potissimum, sperare non pot-  
eram.

Non unam *Medicinæ* partem jam tentarat, sed plerasque  
omnes, *Somatologicam*, *Pathologicam*, *Botanicam*, *Pharmaceu-  
ticam*, *Chymicam*, sedulo legendo, scrupulosè quærendo, at-  
tentè audiendo, curiosè in officinis omnia rimando, manû  
operi masculè admovendo, communes locos maturè ador-  
nando, omnesq; molestias facilè tolerando: adeo ut hæc in-  
ter tyrocinia futuri progressus eximij specimina dederit in-  
signia. Nasci hanc sibi eruditionem in natali solo maluit,  
quàm in peregrino, quod numeris suis consummando huic  
studio destinaverat. Turpe enim ducebat è patriâ ruditatem  
efferre, & exteris deridendam propinare: turpe, inquam, &  
*sibi*, cui stuporis vel ignaviæ notam inurere; & *Patriæ*, quam  
barbaræ infelicitatis arguere & damnare; & *Patri*, quem  
negligentiæ haud excusabilis accusare potuisset. Unde, *ad  
Academias & exteros sat citò*, aiebat, *si sat benè*: & vitio mul-  
tis suis coætaneis dabat, quod, quæ satis benignè Patria offer-  
ret commoda, nimis præposterè fastidirent, suæq; ruditatis  
exteros mallent habere conscios, quàm domesticos, & si fors  
ita ferret, omnem eruditionis & studiorum gloriam peregri-  
næ terræ debere, quàm patriæ. Quod quâ ratione cum *Φιλο-  
σοφία* conciliari posset, non videbat: neq; certè ego video.  
Uti & hoc mirabatur, quo consilio, qui trivialis ruditatis ve-  
stigia vix dum obtrivissent, ad sublimes *Academiarum* festi-  
narent Cathedra prius, quàm medios Patriæ Scholæ emensi  
essent gradus: vel potius, quâ mentis & iudicii *ἀρρωσία* ef-  
ferre cereas alas ad Solis orbitam auderent, qui ne mediij qui-  
dem aëris teporem satis commodè possent ferre: quod equi-  
dem & ego miror.

Jam



Jam tamen in *co*eram, ut de *Filio* ad exteras *Musas* ab-  
legando cogitarem, Neq; enim inficior ego esse sua oppor-  
tunæ peregrinationi commoda, & ingenii eam excitandis  
excolendisq; , si prudenti consilio suscipiatur, servire: maxi-  
mè si ea sit ætas & ii progressus, ut doctorum uti familiariter  
& cum fructu possis consuetudine, Non ex uno flore mela-  
pes colligunt, sed è plurimis: sic & eruditionem rarò con-  
summat unius doctoris consuetudo, neq; plures etiam libri  
in umbrâ lecti, Infinita propemodum sunt discendi deside-  
ria, quæ unus explere locus, uniusq; hominis consuetudo vix  
potest. Magna ingeniorum & donorum est diversitas, quæ  
videndo & audiendo citiùs & jucundiùs noscitur, quàm le-  
gendo: ut & altiùs sedere in animo solent, quæ pronuncia-  
tio, vultus, habitus, gestus etiam dicentis affigit.

Arrisit autem mihi præ reliquis, in hoc primo peregrini-  
nationis periculo, *Heidelberga*, jucundissima studiorum  
meorum mater & nutrix; illa olim amænissima & gloriosis-  
sima *Musarum*, inter vitiferos myrtiferosq; *Parnassos* & ne-  
mora, ad *Castalias Neccari* aquas, sedes: illud divini huma-  
niq; juris domicilium: ille felicissimus animæ corporisque  
medicus hortus: illud tutissimum orthodoxiæ asylum & orbe  
propemodum exulantis disciplinæ perfugium: quod *Mar-*  
*tialibus* concussum & penè eversum *Furiis* ante annum tol-  
lere saucium caput ceperat, & dilapsas ad se *Musas* revoca-  
re: Inter quarum cultores nolebam postremum esse *Filium*  
meum, quem eo ipso sine quasi exploratum præmiseram, quæ  
*Palatinatus*, quæ *Academiæ panoreæ* paulatim resurgentis es-  
set facies: ut, si tranquillitatem & instauratam discendi op-  
portunitatem porro illa promitteret, ad me reversus quasi  
è vestigio iter relegeret, sedemq; in illo *Musarum* sacratio  
figeret, Satis feliciter hoc iter cesserat, quod & benevolen-  
tiam Professorum *Academicorum* ipsi opportunè concilia e-

D



eat, & commodum in frequentissimum illum *Ordinum Evangelicorum* conventum, qui *Frankofurti ad Menum* de pace *Germanie* restituendâ deliberabat, incidere; ubi velut in compendio, per aliquot septimanas, *Evangelicorum* procerum plerorumque quasi curias & magnifica consiliorum fulcra spectaverat.

Rediit tandem bonis avibus, post tertium mensem valetudine quidem, ut aliis videbatur, satis commodâ, sed quam ipse ex indicijs non obscuris suspectam habebat, quâ nec satis firmam tutamque domo extulerat. Quem enim paulò ante abitum vagus quidam horror subinde invaserat & fatigaverat, reducem jam tussis infestabat, laborantis ventriculi & pulmonis index: quæ sua sensim incrementa sumisit & alijs aucta symptomatibus valde sollicitum & anxium me habuit, qui jam pridem vitæ *Filij* meiq; gaudij summam brevem, subducto quasi calculo, computaveram, quæ spes longas me inchoare vetuit. Hos latentis & magis magisque invalescentis mali nuncios diri lateris cruciatus exceperet, quæ calculi tormenta Medicis visa post tertiæ tamen septimanæ decursû, superioribus mensibus, confederunt, ita quidē, ut nunquã recurrerint: etsi fatigatû corpus graviori malo porro ad ultimum vitalis lineæ punctum usque exercendum tradiderunt. Etenim ab eo tempore, postquam convaluisse, & prostratas vires recollectisse nonnihil visus erat, princeps calamitas se magis magisque prodere, & Vere proximo asthmatici phthisiciq; affectus indubia promere indicia: quando, post *pentecostales* ferias, per pectoris angustiam, respirationis velocitatem, tussis molestiam, & totius corporis languorem domo egredi desit: quietem hisce malis suadentibus & imperantibus: etsi lectulo planè affixus ad ultimum usq; diem nunquam hæsit, suoq; more iudutus ambulando, sedendo, cubando dies transegit, sine exquisiti doloris sensu, cum assiduo tamen languore: cui medicas manus

ada



adhibere, quæ in promatu nobis erant, non destitimus: ad eò  
ut & exterorum jam seriò nobis imploranda videretur ope-  
ra: quos cum coràm de morbo suo edocere non posset, per  
litteras edocuit: quibus historiam ejus ipsemet *latine* descri-  
psit, quas hoc loco inserere præter rem non fuerit.

*Annos sum natus XXI, habitu corporis mediocri, caloris  
æstivi impatientior, quàm frigoris hyberni: primis pueritiæ annis  
crebris infestatus morbis, febribus, diarrhæâ, cardialgiâ, stran-  
guriâ, (quæ tamen adolescentem me in primis afflixit) tumore,  
qui annis ætatis primis eam corporis partem, quæ est proxime infra  
regionem epatis, transverso occupavit, cui, ut videbatur, impa-  
ctus ad Zone latitudinem & quadrantis ulnæ longitudinem: tan-  
dem tamen, post annos aliquot, disparuit: tussi, vel potius tussi, non  
di conatu, levioze, pueritiæ annis, adolescentia verò, gravioze.  
Ante biennium periculosissima inflammatio anginata minata  
est.*

Hoc ipso anno febrili horroze correptum stranguria cum tussi  
familiari vehementioze invasit: quod ne invalesceret malum, à  
Chymico quædam pilulam Antimonialem 3. gran: (de cujus tamen  
preparatione singulari non constat) porrectam assumpsi: unde ali-  
quoties dejecti, iteratog, vomitu multum flavæ bilis magno ejeti co-  
natu. Sequentie die stranguria supra modum molesta (cujus tamen  
initia ante sumtam pilulam se prodiderunt) me invasit. Etenim  
urina perpetuum jensi stimulum: frustra tamen sæpius reddere  
conatus non nisi guttatim eamq, fulvam cum sedimento plurimo  
reddidi maximo dolore: cui deinde exquisiti alii, circa renum re-  
gionem, dolores accesserunt. Impatiens tandem dolorum membra  
ægritudine fessa lecto permisi, consulto medico, qui illico medica-  
menta scopo isti servientia præscripsit: quorum tamen vim perti-  
nacia morbi gemino dolore gravissimi satis diu elusit, donec tan-  
dem, favente divina gratiâ, ei succubuit & corpori valedixit. Post-  
quam ex morbo hoc paulisper convalui, tussis (cujus tamen initia  
ante morbum satis erant gravia:) vehemens me afflixit, quâ,



quamvis magno conatu, pauca eaq; crassa reicere potui, humore crasso (quem augere potuit defluxus quotidianus ex capite, quod nudum saepius habui) per vomitum, quae tamen tusiendi provocavit conatus, ejecto. Huic morbo et si haecenus efficacia Dogmaticorum remedia incidentia & expectorantia fuere opposita: nondum tamen expugnatus ne latum quidem unguem videtur cedere, & etiamnum

### Doctâ plus valet arte malum!

Imo aliis jam quoq; non minus truculentis stipatur satellitibus, maximâ pectoris angustia, respirationis difficultate & frequentia, lassitudine insolente, nausea cibi, appetitu potus crebro, sudoribus fere per totas noctes continuatis, qui tamen somnum non impediunt & insomnum, praecipue meridianum, proclivitatem. Haec brevis est morbi mei delineatio:

His ita constitutis quaeritur.

1. Quis sit affectus, & quae causa?
2. Quae signa prognostica?
3. Quae victus & cura ratio instituenda? Haecenus literæ.

Missæ sunt eæ ad clarissimos viros, Dn.: D: *Danielem Senertum*, in Academiâ V Vittenbergensi Medicinæ Professore, & Serenissimi Electoris Saxoniae Medicum felicissimum, & Dn.: D: *Matthiam Engelhartum*, Archiatrum Cothoniensem dextrimum, qui sua humanissimè consilia contulere; sed mali, quamvis lentum id videretur, ineluctabilis erat vis, quam nec movere nec frangere ulla medicamenta potuerunt; etsi nec festinata ejus apparebant incrementa, ferè usq; ad duos postremos dies; neq; ut ante dixi, post expugnatos renum dolores, lectulo affixum tenuit. Surgebat pro more, quamvis aliquanto tardius, quia fere insomnes noctes traducebat, inducebat se, ambulabat, sedebat, decumbebat, plerumq; tamen extra lectum, neq; à cibo planè abstinebat: etsi rarò appetitus cum invitabat: quotidie fere familiares suos libros volvebat, meditabatur, scribebat.

Inter



Inter postremas meditationes græcum erat propemticū ,  
 quo doctissimum Juvenem, *Davidem Sartorium Genevensem*,  
 S: Theologiæ studiosum πολύγλωττον, in orientem ad Orato-  
 rem *Belgicum*, vocantibus *Belgæ* & jubente Ecclesiâ *Genevensi*,  
 iter parantem profecutus est : quod huc referre, quia quasi  
 cygnea fuit cantio, non pigebit :

Αντολίην συγέσθιν ἐτώσια ἄχθε ἀρήρης.  
 τίθη; ὅτι δυοσεβέων βαρβαρῶν ἦθος ἔχει.  
 ἢ μὰ Δί' ἀτρεκέος τυχέειν οἶδ' ἄξιοι αἶνε·  
 εὐσεβίην ἔδεν θεῖαν ὀπιζόμενοι.  
 ἦν μάλιστα εὐσεβίης ἀλδαινέμεν εὐχος ἔλοιπτο,  
 μὴ πόσον ἔχθοιτο βαρβαρῶν Αντολίης.  
 Τυώη μυσσίων, Σαρτώριε, θρέμμα λιγυίων,  
 ἔκ ἀλέγων αἴτης δαιμονίωντε κακῶν·  
 Ἄσμενος Αντολίην ἀσπάζεαι ὀκνηρόεσσαν,  
 Φῶτος ἀλαίνοντες ἐς Φάος ἐλξόμενος·  
 Νείσε' ὀπιζόμενος, Φίλε, οἰκονοῖσι καλοῖσι,  
 ἦν νοκτ' Αντολίης ὁδὸς Βορέαιο Φάος.

Ita languoris sui horas sibi otiosas elabi noluit, & subinde  
 temporis deploravit jacturam, quam faceret amanissimo  
 vere & æstate, quibus herbarum noscendarum & colligen-  
 darum transmittere opportunitatem cogeretur. Tandem  
 verò vidit sensitq; , vix fore ut morbi pertinaciam eluctare-  
 tur: quod ad alios quidem ingenuè fatebatur & prædicebat,  
 ad parentes verò dissimulabat, ne mæstis mœrorem impru-  
 dens augetet. Interim ad beatam αἰάλυσιν maturè se prapa-  
 rabat legendo, orando & peccati miseriam deplorando. Ul-  
 timus, quem in terris hisce exegit, dies non admodum dif-  
 similis fuit multis prioribus: quem isdem, quibus & alios,  
 extra lectum transegit actibus, nullo mortis appropinquan-  
 tis sensu metuve percussus, nullâ languoris impatientiâ ten-  
 tatus. Erat ultimus dies xxvi proximè lapsi Julii, quem quæ  
 nox excepit, vivum usq; ad tertiam matutinam habuit, ne



rum quidem admodum sibi dissimilem. Pro more enim lo-  
quebatur, surgebat etiam & *Marte* suo ad lectum redibat  
ad somnum se compositurus, qui sub quartam & quintam  
matutinam, post nocturnum & familiare pervigilium, so-  
lebat obrepere. Cum appropinquantis somni opportunita-  
tem jam expectaret, & silentium adstantibus indixisset: ec-  
ce illicò, post ultimam hanc vocem, leviter sublatâ iterumq;  
demissâ manu, reliquo immoto corpore, tribus suspiriis  
placidissimè exspiravit, sine agone, sine ullius doloris indi-  
cio, postquam annum ætatis compleverat XIX, & tres insuper  
menses.

Quis credidisset pede tam tacito posse mortem adpro-  
perare! Labore tam exiguo asperum hoc iter confici! ani-  
mo tam tranquillo & libero noctis hujus horrorem peragrari! ni-  
si tam facili & anodyno corporis animæq; vinculum disrum-  
pi! Beatam tuam, ô beatissime *Fili*, mortem prædico! Sol-  
visti ultimum mortalitati debitum non morosus debitor  
aut cunctator: morbo quidem appellatus, sed non coactus;  
jam à Creditore tuo in æternam assertus Filiorum DEI liber-  
tatem, Probè talentum collocasti tuum, quod naturæ sordi-  
bus obrui non es passus: fœnori id exposuisti, cum magno  
pietatis, probitatis & eruditionis incremento. Jam lætis il-  
lis Heri tui vocibus circumsonant aures tuæ: *Euge, serve bo-  
ne & fidelis; in paucis fuisti fidelis: super multa te constituam: in-  
gredere in gaudium Domini tui.*

Et si verò, ut videtur, inopinantem aggressa mors est:  
tamen non imparatum invenit: qui longè ante ad ultimum  
cum hoste hoc conflictum se præparavit & panopliâ sacrâ  
armavit, *lumbos veritate circumdatus, justitiæ thorace indutus,  
preparatione Evangelij pacis calceatus, scuto fidei munitus, galeâ  
salutari tectus, & spirituali gladio, DEI verbo, accinctus.* Hanc  
armaturam puer induit & ad supremum usq; momentum  
gestavit.

Reliqua



Reliqua civilis vita & conversatio me præconem non desiderat: nota ea omnibus, quorum est usus consuetudine, qui inter æquales & majores natu mores ejus observarunt. Absit tamen verbo jactantia: in adolescentiâ & ineunte juventute pleraq; ætatis istius declinavit vitia, intemperantiam, insolentiam, inconstantiam, arrogantiam, levitatem, garrulitatem, iracundiam, jactantiam, prodigalitatem. Parentibus se præstitit obsequiosum & Φιλόστοργον: quos ne quâ ratione offenderet, aut indigna iis patraret, maximo opere cavebat. Præceptoribus sedulum gratumq; discipulum: quorum in se merita æstimabat: prædicabat: Superioribus aliis humilem & modestum cultorem: quorum hisce moribus sibi benevolentiam conciliabat: Paribus suavem, pacificum & ad omnia humanitatis officia facilem sodalem: Quos in amorem sui hisce illicibus trahebat. Quid dicam? Tria illa juris præcepta, *honestè vivere, alterum non ledere, suum cuique tribuere*, pro vitæ civilis normâ habuit. Benè igitur cum vixerit dilectissimus *Filius*, malè mori non potuit. Hanc mihi, hanc bonis omnibus exopto mortem sine horrore: mortem sine dolore: mortem sine jacturâ: mortem cum immenso conjunctam lucro.

Ego verò quantam hæc fecerim jacturam, facile intelligo: quam non nisi deplorare jam mihi reliquum. Occidit familia mea, post Patris obitum, futurum columnam, spes parentum, futurum reliquæ sobolis asylum: ut, quod sine invidiâ non dicerem, taceam. Quot mihi annorum labores perierunt! Si tamen perierunt, quorum uberrimos in *Filio* vidi fructus: etsi cum *Filio* esse ii jam defuerunt. Sed comprimo me, & sanctissimam DEI voluntatem supplex adoro: illa dedit, illa abstulit. Me cum verba deficient: ecce *Filium* ipsum loquentem & me maestum erigentem sisto. His enim ille, verbis, penè ante triennium, cum *Filiolum*, ego *Cristianum*, ille Fratrem præmaturâ morte abreptum lugeret, me maestum consolatus est.

S. &



S: & O: P.

**N**ON graviter sunt ferendi casus, quos nullo con-  
silio mutare possumus, inquit Philosophus, charissi-  
me Parens. Philosophus & Philosophorum scilicet est  
non succumbere ictibus fortunæ adversæ, quamvis gla-  
diatorio more repetitis. Munus tuum adumbro: tu id puro &  
sereno oculo intuere: nunc enim per nebulam doloris falsâ specie te  
malum cruciat: sensuum hæc impostura est. Liberâ mente libra  
onus tuum, nullum aut leve inventurus. Fratrem luges? Quid  
si adultum aut virum! Minor planta, quàm arboris interitus est.  
An hoc insolens, Patrem Justa fecisse Filio? Quotidie accidit. Ad-  
mitte exempla: inspice monumenta: Admitte, inquam, & inspice,  
ut ad consolationem & constantiam utraq; promas. Quæ familia  
vel domus, quæ tale quid non sit experta? Ducere te quoq; ad hanc  
tragicam scenam Deus voluit. Fratrem eripuit: Imo non eripuit:  
sed precario concessum repetit. Mortalem genuisti, mortalem red-  
didisti: Ita tamen ut eum immortalitas exciperet æterna. Tu,  
quem luges, sequeris: & tamen fecit ille, quod mox facturus fuisset,  
nisi fecisset. Inviâ omnes sumus. Felix ille, cui ante lassitudinem per-  
actum est iter! imo in cursu sumus & ad quietem beatam anhe-  
lamus. Vestigia premimus diverso quisq; gradu: alium integrum  
& robustum, alium fractum cassumq; fatalis excipit meta. Na-  
scentiû ordinem non expectat Parca. Jam verò ut sacra suggeram  
solatia, non extinctus est, quem luges: sed vivus & superstes. Esse  
non desit, sed cœpit; quia novo vitæ exordio immortalitatem est  
sortitus beatam, beatâ quædam ἀνταλλαγή. Dies, quem tanquam  
extremum luges, æterni natalis est. Ex humili & vili casâ si in  
arcem transferar, ex umbrâ in lucem, an doleas? Arcem cælum,  
lucem Deum indigito. Huc huc redeunt, imo hîc vivunt, (vel  
Cicerone teste:) qui è corporum vinculis, tanquam è carcere, evo-  
larunt. Quod interest inter splendorem & lucem, (Senecæ agno-  
sces verba.) cum hæc certam originem habeat ac suam, ille niteat  
alieno



alieno: hoc inter hanc vitam & illam. Hac quia fulgore extrin-  
secus veniente percussa est, crassam illi statim umbram faceret,  
quisquis obstiterit: Illa verò suo lumine illustris est. Hac luce  
Christianus fruitur, meliore sui parte Deo junctus & aeternus:  
cui dolore & mœrore nostro felicitatem & quietem aeternam in-  
videre videmur. Felicem igitur & liberum immortalitatis præ-  
mio filium habes: infelicem & servum mortalitatis jugo habuisti.  
Lugere felicem, stultum est: exoptare infelicem, impium.

Salve ergo, frater chare; in hac lilia spargo:

Hiscæ tuam violis expollemus humum.

Hac urnâ legitur felici morte peremptus,

Delicium Patris ac genetricis amor.

Manibus ergo piis Frater sancta otia, sanctam

Ex animo requiem & gaudia sancta vovet.

Interea tu, chare Parens, luctum squaloremque, pone & tran-  
quillo vultu animoque, in constantiæ publicæ exemplum ito. Virum  
te nosti: Ergo virum ne plane exue. Vale.

Tandem & me & alios elegantissimis & gravissimis Cy-  
priani Martyris verbis compello.

Quicumque Mundi conditorem sincerè diligitis, mente integrâ,  
fide firmâ, virtute robustâ, parati ad omnem voluntatem Dei mecum  
este. Pavore mortis excluso, immortalitatem, quæ sequitur, cogi-  
temus. Hoc nos ostendamus esse, quod credimus, ut neque charo-  
rum lugeamus excessum, & cum accersitionis propria dies venerit,  
incunctanter & libenter ad Dominum, ipso vocante, veniamus.  
Quod cum semper fuerit faciendum Dei servis, nunc fieri multò  
magis debet, corruente jam mundo, & malorum infestantium tur-  
binibus obsesso: ut qui cernimus cœpisse jam gravia, & scimus im-  
minere graviora: lucrum maximum computemus, si isthinc velo-  
citer recedamus. Si in habitaculo tuo parietes vetustate nutarent,  
tectâ de super tremarent, domus jam fatigata, jam lassâ, aedificiis  
senectute labentibus, ruinam proximam minaretur, nonne omni  
celeritate migrares? Si, te navigante, turbida & procellosa tem-  
pesta, fluctibus viventi excitatis, prænunderet futura naufraga-

E

gi




gia, nonne portum velociter peteres? Mundus ecce nutat & labitur, & ruinam sui, non jam senectute rerum, sed fine testatur; Et tu non Deo gratias agis, non tibi gratularis, quod exitu maturiore subtrahis ruinis & naufragis et plagis imminentibus exuaris? Considerandum est, fratres dilectissimi, & identidem cogitandum, renunciaſſe nos mundo & tanquam hospites & peregrinos hic interim degere. Amplectamur diem, qui assignat singulos domicilio suo, qui nos isthinc ereptos & laqueis secularibus exutos Paradiso restituit & regno caeleſti. Quis non peregrè constitutus properet in patriam regredi? Quis non ad suos navigare festinans ventum proſperum cupidius optaret, ut velociter charos liceret amplecti? Patriam noſtram Paradisum computamus, parentes noſtros Patriarchas habere jam cœpimus. Quid non properamus & currimus, ut Patriam noſtram videre, ut parentes ſalutare poſſimus! Magnus illic nos charorum numerus exſpectat parentum, fratrum, filiorum. Frequens nos & copioſa turba deſiderat, jam de ſua immortalitate ſecura & adhuc de noſtra incolumitate ſolicita. Ad horum conſpectum & complexum venire, quanta illis & nobis in commune letitia eſt? Qualis illic caeleſtium regnorum voluptas ſine timore moriendi, & cum aternitate vivendi? Quam ſumma & perpetua felicitas! Illic Apoſtolorum glorioſus chorus: illic Prophetarum exultantium numerus: illic Martyrum innumerabilis populus ob certaminis & paſſionis victoriam coronatus: triumphantes illic virgines, quae concupiſcentiam carnis & corporis continentia robore ſubegerunt: remunerati miſericordes, qui alimentis & largitionibus pauperum juſtitiae opera fecerunt, qui dominica praecepta ſervantes ad caeleſtes theſauros terrena patrimonialia tranſtulerunt. Ad hoc, Fratres dilectiſſimi, avidam cupiditate properemus, ut cum his citò eſſe poſſimus, ut citò ad Chriſtum venire contingat, optemus. Hanc cogitationem noſtram Deus videat: Hoc propoſitum mentis & fidei Dominus Chriſtus adſpiciat, daturus eis gloria ſua ampliora praemia, quorum circa ſe deſideria fuerint majora. Amen.

Vo.



Vobis, quod unum est reliquum, magnifici & consultissi-  
mi illustris Servestani Regiminis Dulmiviri, vobis, reverendi  
& doctissimi Ecclesie Servestanae Antistites & ministri: vobis, cla-  
rissimi & praestantissimi illustris Gymnasij Anhaltini Professores  
& Doctores: vobis, spectatissimi & prudentissimi Reipubl: Serve-  
stanae Consules & Senatores: Vobis, doctissimi Scholae Senatoria  
Moderatores: Vobis, Prudentes & honorati cives: Vobis,  
ornatissimi juvenes Studiosi: Vobis deniq; , bonae indolis speiq;  
adolescentes Scholares, Dominis, Fautoribus, Collegis, Amicis,  
Discipulis, pro ultimo hoc humanitatis officio, quod Filio  
meo frequentissimi praestitistis, exequias eundo, moestissimū  
me consolando, concione funebri mortuum honorando  
vivosq; instruendo, concentu musico exequias ornando,  
funus efferendo, & deniq; eruditis epicediis defunctum lau-  
dando, quo par est submissionis, officii, amicitiae & benevo-  
lentiae affectu gratias ago, quas & referre, quibuscunq;  
potero officiis, studebo. Vos longum vivite,  
valete, florete.



PRO.



PROGRAMMA FUNEBRE.  
CHRISTIANUS BECMANUS  
Bornensis, Ecclesiæ Servestanæ Antistes & ibidem  
Theologiæ professor

ORNATISSIMIS GYMNASII  
Servestani Studiosis.

**E** Adem vita omnibus: idem exitus est vitæ omnibus: sed non eodem modo, non eodem tempore. Alium in medio cursu vita deserit: alium in ipso aditu relinquit: alium extremâ senectute fatigatum jam & exire cupientem vix emittit: ut verba Senecæ usurpemus. Certè Rudolphum Wendelinum, juvenem florentissimum, Viri Clarissimi & Præstantissimi, D. Marci Friderici Wendelini, Rectoris Gymnasij Servestani dignissimi filium, in ipso melioris ætatis limine (cum annos novendecim & tres menses modo vixerit) mors præter opinionem nostram nudiùs tertius, post horam tertiam matutinam, hoc ærumnoso vitæ ergastulo exemis:

— mediâ cecidere abrupta juventâ  
Gaudia, florentesq; manu scidit Atropos annos.  
Qualia pallentes declinant lilia culmos,  
Pubentesq; rosa primos moriuntur ad austros,  
Aut ubi verna novis, exspirat purpura pratis.

Si humanitatis nostræq; more loqui aut judicare velimus, præ alijs dignus erat ille juvenis, quem & pacatius sæculum & in eo plures insuper anni exceperint. Non tantùm enim felix ingenium (quæ basis veluti eruditionis est) DEI benignitate obtinebat: sed etiam singulari accedente diligentia ac labore eos fecerat progressus in Latinâ, Gracâ & Hebræâ linguâ, nec non in humanioribus artibus, ut & Studio Theologiæ & Medicinæ, (quam primariâ destinatione potissimum affectari cum Deo & Die decreverat







Illum si pietas, probitasq; & mentis acumen,  
Ipsaq; melliflua dulcissima munera Suadae,  
Et qui sunt porrò mentis, menti; lepores,  
A Fati invicta potuissent solvere lege;  
Vincere dignus erat numerosos Nestoris annos,  
Quippe suis quondam Lumen columenq; futurus,  
Dignior at visus cœli terræq; Monarchæ  
Flos ille ingenui intemeratus & integer ævi,  
Quam reptaret humo, ingratoq; senesceret orbi.  
Ergò venenatas prætervehit integer auras,  
Atq; illibatus cœlestibus advolat oris,  
Sic moderante, cui stamus cadimusq; , Jehovâ.

Salve ergò cœli, Rudolphe, beator hospes,  
Nunc te vera manent æternæ gaudia vitæ,  
Nunc geminas lætos placidâ de morte triumphos,  
Nam ceu sæpe fuit mortis tibi somnus imago,  
Sic fuit ipsa tibi mors dulcis imago soporis:  
Atq; hoc sit vobis, ô pectora mœsta! parentes,  
Solamen certum, justiq; medela doleris.

IOHAN: STURMII Cancellarij Servestani,

VOTUM EIUSDEM IN HOC CONCATENATARUM  
calamitatum ergastulo.

Fat Deus, extreme cum venerit hora diei,  
Ceu mihi sæpe sopor fuit atra mortis imago:  
Sic mors ipsa mihi sit dulcis imago sopori.



III.

**V**ita fugax nostra est, palmâ non latior unâ,  
Palma citò ut verti, sic quoque vita potest.  
Quamque citò prati vernantis lilia languent,  
Tam citò summa dies cuilibet una venit.  
Sic quoq; spe citius tibi mors inopina, Rudolphe,  
Venit: spes mœsto quanta at adempta Patri!

Anno



Annos bis denos nondum transmittis, & Artes  
 Et Linguas calles & Medicæ artis opus.  
 Cumq; meo Gnato quoties examinis æstum  
 Passus es, Achates qui tibi fidus erat!  
 Vos Deus ipse pares naturâ fecit ita ambos,  
 Ut jurem geminos non magis esse pares.  
 Occidis ante diem primo sub flore juvenæ,  
 Delicia matris, spes cadvi atque patri.  
 Os pes fallaces! nam si te passa fuissent  
 Implere ætatem Fata, Rudolphe, tuam:  
 Doctorum, verum fateor, Respublica languens  
 Et stabilita tuâ & tuta fuisset ope.  
 Copia linguarum, doctrinæ copia, præstans  
 Ingenium, pietas, spesque fidesq; tua,  
 Naturæque bonum, virtus maturior annis  
 Suaferunt morti, ut crederet esse senom.  
 Securus moreris, quia scis te morte renasci.  
 Natus es ut pereas, ut redeasq; peris.  
 Nam bene qui moritur, moritur minime, exit ut intes  
 Perpetuum, æternos vivat & usq; dies,  
 Quò brevius terris vixisti, hoc æthere vives  
 Longius. Hæc mœstum spes levet una Patrem.

IOHANNES RÖPPEN.



IV.

RU D O L P H U S V V E N D E L I N U S

terra Vale-dicit.

**E** Se ibi lis & vis, mors & mors, æstus & astus:  
 Est dolus atq; dolor, bellaq; bella minus?  
 Terra vale, vallis fallax: novus incola cœli  
 Jam modò lautitiis lætitiisq; fruor.  
 Hic pax vera viget, mera lux, æternaq; vita:  
 Hic sine nocte dies, hic mihi parta quies.

M. Christianus Becmanus Born. P. L.

Qui



**Q**ui cupis eximia præclaris dotibus aucti  
Indolis, ac miro Virtutis & Artum honore  
Ornati Exemplar Juvenis cognoscere vivum  
Huc ades, huc propius spectatum lumine mentis

Vendimo illustri genitum Patre rege Lycei,  
Principe & Ascania dictam Propatre Rudolphum,  
Qui justis ante dies hic splendet laudibus ævi.

Postquam vitales in luminis editus auras

Hic fuerat, produnt se non obscura latentis

Indolis indicia & generosæ femina Mentis,

Quæ mox prudentes curâ graviore studebant

Excolere, & ritè ad majora parare Parentes,

Et sanè succesit opus benè! Namq; sub ipso

Ætatis primæ ingressu & puerilibus annis,

Vix ubi jam fari poterat, cum lacte vel ipso

Materno imbiberat quasi ludens nomina rerum:

Nempe animo memori præter vernacula promptus

Condebat Latine, Graece condebat, Hebraea

Istis condebat subjuncta vocabula lingue.

Vidimus, ut ternâ nondum trieteride plenâ

Rudolphus noster Textum, quemcunq; legenti

Biblica in Hebraeo monstrabant Codice scripta,

Maternâ pariter linguâ linguâq; Latinâ

Reddiderit mirâ cum dexteritate Parenti.

Haud poterat præsens audire & cernere sicis

Hæc oculis maternus Avus Schumannus, amore

Tam docilis tanto flagrabat amore Nepotis!

Scilicet huc sanctum merito flammæq; latentes

Perraxere Senem, & tam fidi sanguinis ardor.

Et quis tam raras puerili in pectore dotes,

Si videat, quis non bonus admiretur ametq;?

Interea puero discendi creverat ardor,

Creverat insignis discendi plura cupido,

Quam



Quam, præter crebras inter puerilia laudes  
Hæc studia, augebant hortamina crebra Parentis,  
Doctorum augebant hortamina crebra Virorum.

Annis addiderat postquam duo iustra Rudolphus  
Quattuor, in linguis prima hæc quæ jecerat istis  
Fundamenta, satis capiunt felicia porro  
Incrementa, operisq; subit gratissima moles.  
Scilicet hic nullo ductore, interprete nullo  
Reddebat promptus linguâ, quâcunq; volebat,  
Scriptores Latinos, Græcos sacrosq; Parenti  
Exactè. Verùm nec & hoc contentus ad ipsum  
Priscorum Eloquium, & facundæ flumina linguæ,  
Quâ Cato, quâ Cæsar, fuerat quâ Tullius usus,  
Pergere fert animus. Quâ certè in parte laborum  
Præstitit hoc, ut, ubi *ter quinos sedulus annos*  
*Attigerat, quæ pura, solo quæ nata Latino*  
*Verè esset phrasis, & contra quæ barbara, sciret.*  
*Scilicet usq; adeò à teneri adsuescere multum est!*  
*Usq; adeò præclarum aliquid rarumq; videmus*  
*Surgere, ad ingenium pueri si nobile justè*  
*Ætate accedat quoq; conformatio dextra*  
*Doctrinæ, accedat ratio satis apta docendi.*

Istos linguarum multa inter commoda fructus  
Excipiunt *Logicæ* magnis conatibus *Artes*,  
Quarum notitiam tanto conamine, tantâ  
Mensibus attigerat paucis, cum laude virorum  
Ut multorum oculos in se converterit unus.

*Anni, qui decimum quartum quintumq; sequuntur,*  
*Vicini duo, Rudolphum gravioribus urgent*  
*Curisq; & studiis. Primum sacra dogmata, summo*  
*Deq; Deo rebusq; Sacris, cognoscere visum est:*  
*Hinc Mores, solisq; vias Lunæq; labores*  
*Perpetuos, Naturæ arcanæq; cætera tectæ,*  
*Et, mansisse puer ne posset fortè videri,*  
*Quæ fuerant, quàm natus erat prius, undiq; gesta*

E

Eve



**E** veterum placuit scriptorum promere libris.  
 Et jam tempus erat, patriâ cellure relictâ,  
*Musarum sedes alienis visere in oris,*  
 Quod toties caros votis precibusq; rogarat  
 Consilij auctores ad nobiliora Parentes.  
 Cunctantur. Cur hoc? non unica causa: malorum  
*Morborum indicia* hîc nimium suspecta, futura  
 Haud obscura obstant in primis *semina Tabi.*  
 Sollicita hîc in cœstæ Genetricis cura suorum  
 Maluit amplexus inter questusq; scrorum  
 Curari corpus tam cari pectoris ægrum,  
 Quàm procul à patriâ peregrinæ id credere terræ.  
*Martius* hic votis Rudolphi Martius obstat,  
 Belli inter strepitum & tormenta tonantia flammis,  
 Ille furor, tria lustra ultra qui tertium in annum  
 Teutonicum exhaurit privat crudeliter orbem  
 Viribus atq; Viris: qui evertere, perdere sævus  
 Præcipuas gladio & flammis non desinit urbes:  
 Qui juvenum florem subito crudelia moru  
 Omnem vel præter mentem, pertraxit ad arma  
 Dulcibus Aonidum è castris ad castra furentis  
 Eduxit violentaq; vulnere funera Martis.  
*Morum intemperies* votis hic obstat honestis  
 Ausa Scholas passim illustres invadere magnâ  
 Non sine clade, novem quâ consecrata Camœnis  
 Ingenia haud rarò sævis agitata cachinnis,  
 Lusibus atq; jocis quâ divexata subinde  
 Indignis, nummis exutaq; turpiter, omni  
 Spe frugis velut abjecta studiisq; relictis,  
 Heu rebus diffisa suis, quâ limine ab ipso  
 Doctrinæ primæ, primoq; à limine pulsa  
 Virtutis veræ vel bella eruenta sequuntur,  
 Turpia vel saltem cum quærant otia, nunquam  
 Inter honoratos sedemq; & nomen honestum  
 Inveniunt, tandem ad rastros, quod turpe, redacta.  
 Hæc verò tanto medicamina quætere morbo  
 Mature, ô Patriæ Patres magniq; scholarum



Patroni, vestrum est: vestrum est succurrere rebus  
Omni ope jam lapsis, gratamq; adhibere mœdelam:  
Ne, mala per longas nullo si quando vetante  
Invaluere moras, restet spes nulla salutis  
Amplius, & Virtus retro sublapsa feratur.

Interea, quamvis aliter placuisse Parenti,  
Sacris qui Natum Studiis addixerat olim,  
Jam sciret, tacito Mentis moderamine tractus  
*Scire potestates herbarum usumq; medendi*  
Expetiit, lapsas ægrisq; reducere vires,  
Cui voluit studio divina *Mathemata* jungi.  
Hic supra ætatem quantos susceperit ausus,  
Mecum, qui studia hæc lætis successibus ejus  
Direxere, sciunt: novit Schola Publica, norunt  
Collegæ, norunt, fuerat quæis charus, Amici.

Sed dum majores sperant aliquando futuræ  
Frugis proventus, crescente ætate, Parentes,  
Occidit en viridis primo sub flore juventæ!  
Occidit, heu raræ virtutis furculus ille!  
Occidit heu lacrymas inter planctusq; sororum,  
Cum luctu cum vulnificoq; dolore Parentum!

*Usq; adeo in terris firmum nihil esse videmus!*

*Usque adeo Magnum nihil est durabile in orbe!*

*Usq; adeo, surgit quod presocce flere, repente*

*Occidit, atq; sui, præter desiderium, nil,*

*Nil nisi mœrorem pungentem pectora linquit!*

Tu verò immodicis, Genitor tristissime, noli  
Excruciare animum lacrymis, luctuq; perenni.  
Sustulit ingrato, hoc dederat qui nobile munus,  
Ipse DEUS, nece tam properatâ sustulit orbi:  
Ne pravi inficerent animum contagia secli  
Prava, dies cumulat quæ pejor quæq; prioræ,  
Sustulit, inq; poli felicem transtulit aulam.  
Omnibus ut curis ereptus Filius inter  
Viveret Aligerum lætas Patrumq; catervas,  
Cœlestem gestans redimitus fronde corollam.

F 2

Non



Non ævū maturus erat, maturus at annos  
Maturus æquante bonā indole & artis honore,  
Virtutisq; , moras ævi quæ nescia ferre est.  
Hisce inodum vitæ implevit velocius acta,  
Quo fuit ætherio quoq; calor ipse Parenti,  
Quod cita testatur properati funeris hora.

Sed tu, facte recens fortunati incolā casti,  
Salve, ô calicoli hospes gratissime, salve,  
Perpete pace fruens caelestes inter Alumnos,  
Plurima dum modò nos atq; aspera bella fatigant:  
Quæ, D E U S ô vera Pacis qui solus es autor,  
Qui mundi Rector solus moderari habenas,  
Tempora qui belli solus Paciq; gubernas,  
Tandem tolle tot annorum post prælia, post tot  
Undiq; vastatas flammis crudelibus Urbes:  
Ac Nobis tandem, quæ rerum est optima, Pacem,  
Quam tot cum lacrymis optat Germania, redde,  
Redde D E U S Pacem optatam. Sic ibimus uno  
In laudes cantusq; tuos ore ibimus omnes:

M. Petrus von Jena, Reipubl. Servestanae Patriæ  
Consul, & illustr. Gymnas. Adjunctus.



V I.

**F**los cadit ante diem nimium fragrantis odoris,  
Mandatur terræ flosculus ille sacer.  
Floruit in terris, magis at florebit olympo,  
CHRISTUS ubi magni solis ad instar erit.  
Majorem in cælum translatus reddet odorem,  
Allicietq; suo semper odore pios.  
Viventes morimur, morientes vivimus, ipsa  
Vita magis mors est, mors pia vita magis.  
Est ita, seu morimur, seu vivimus, omnia fiunt  
Arbitrio summi consilioq; DEI.  
Mens pia libera agit, corpusq; è morte resurgit,  
Quando jungentur corpora Spiritibus.

EPI



EPITAPHIUM.

**A**ST A prateriens parum viator,  
 Et salvere pios iubeto Manes.  
 VVENDLINI hoc tumulo teguntur ossa  
 Præstantis juvenis, bene eruditi,  
 Prognati celebri, pio parente,  
 Qui dilexit eum intimis medullis,  
 Ob rarum ingenium, bonosq; mores,  
 Et desiderium suis reliquit,  
 Exemplum pietatis & pudoris,  
 Dignus vivere ad ultimam senectam.  
 Hospes da violas novo sepulchro,  
 Et tandem lacrymis rigato terram.  
 Forsan flos novus exeat sepulchro,  
 Nimirum Pietas, Minerva, Virtus:  
 Quæ uno condita sunt simul sepulchro.

*Johannes Sagittarius, Med. Doct.  
 Affini & Compatri serio condolens.*



VII.

**T**ί κλαίεις οἰκτρῶς, μήτηρ κ' ἰδάκρυ χέουσα!  
 Ὅσπερ νῦν θάνειν ὡς γλυκερῶ δεδμημένος ὕπνω  
 Ἡδ' ἐτάφη κ' ἠθεα σὸς πολυήρατος υἱός  
 ἔκ ἀπὸ ταυτομάτης ὁδὸς καί θανεν, αὐτὰρ ἔκηται  
 Τῆ φίλῃς ἡμετέρῃο θεῶ πατρὸς αἰὲν εὐόντος,  
 Αὐτὸν ὃς ἐκ πάντων κρητερῶς ἐρρύσατο ἀλγῶν.  
 Ἡδ' ὅτ' ἐλεύσεται θρανόθεν χριστός θεῶ υἱός  
 Σὺν πλήθει ἀγίων τε καὶ ἀγγελικῶν θεοσπόντων  
 Δὴ τότε ἐκ νεκρῶν ἐπαναστήσει βιοτεύων.  
 Ἀλλὰ τοῖ οἴκῳ ἐν ὑψοροφῆι μέγαλοιο θεοῖο  
 Νῦν μάκαρον ζῶει βίον ἠδ' αἰώνιον αἰὲν,  
 Τερπόμενος φίλον ἤτορ ἀχῶν ἔκποσεν ἀπάντων.

F 3

ALIND



ALIUD.

**S**ic igitur gelidâ consumptus morte **RODOLPHUS**  
 Post fata exiguo conditur hoc tumulo?  
**A**tq; illum viridis primo sub flore iuventæ  
 Heu celeri rapuit mors inopina manu?  
**O** duram Lachésin, virtus quam flectere nulla,  
 Nec pietas potuit, nec vigor ingenij!  
**H**eu spes fallaces & inania vota parentum!  
 Quàm nostra est fallax & breve vita bonum!  
**Q**uid queror? ipse **DEUS** non temporis inscius hujus  
 Instanti hunc voluit surripere ante malo.  
**D**umq; furit nostras Bellona cruenta peroras,  
 Et saturata hominum sanguine terra madet,  
**N**ullaq; spes melior venturo ostenditur ævo,  
 Parta illi vera est pax, animaq; quies.

*M. Isaac Gregorij, Reipubl. Servestanae Consul.*

IIX.

**S**icne Rudolphe jaces, Decus ac spes magna parentum?  
 In teneris annis sic cadis ante diem?  
**H**eu quàm immaturo decedis tempore! dignus  
 Ingenii ob dotes vincere secla patrum.  
**H**oc meruere Fides, Candor, tua vivida Virtus:  
 Hoc morum Integritas, hoc Pietatis amor;  
**C**opia Linguarum, Doctrina copia, longè  
 Quàm præstas sociis, eximiisq; viris.  
**O** duram **LACHÉSIN**, nec Parca nomine dignam,  
 False suâ hunc juvenem qua necat ante diem!  
**P**arce Pater lacrymis, Mater pia parce dolori,  
 Parce soror, frater desine flere, queri.  
**SIC FUIT INFATIS:** fuit hæc immota voluntas,  
**VERBO** qui fecit cuncta, regitq; **DEI**,

Ergo



Ergo modum vestris lacrymis imponite, nunquam  
 Displiceant vobis, quæ placuere DEO.  
 Præreptus curis juvenis, multisq; periculis  
 Aspectu fruitur, colloquioq; DEI.  
 Tempa Poli, CHRISTVS quæis præsidet ipse, frequentat;  
 Cum Patribus sanctis gaudia lætus agit.  
 Amplius haud belli tot clades, totq; furores  
 Mortis, nec Martis funera mæsta videt.  
 Urbes nec Patriæ vastari (proh dolor!) audit;  
 Et damnum Martis templa furore pati.  
**FELIX!** quem tantis turbis, tantisq; periculis  
 Ereptum ad cæli sidera **FATA** ferunt.

Ioannes Cramerus. D.

ALIUD. IX.

Ex lib. Sap. cap. 4. ex quo textus concionis funebrio  
est desumptus

**E**T si immaturo moriatur tempore **IUSTUS**:  
 Est tamen in requie, lætitiâq; Poli.  
 (Ætas laudatur, sed non quæ durat in annos,  
 Aut superat Pylîj tempora longa senis.  
**Vera Fides, Pietas, Probitas, SAPIENTIA** canis;  
 (Ætas, vita expers criminis atq; doli.)  
 Ille etenim **DOMINO** placet, inter labe notatos Eccl. 5. v. 2.  
 Tollitur è vitâ fertur ad astra Poli. Heb. 11. v. 8.  
 Luctibus eripitur, Acuris, multisq; periculis,  
 Criminibus culpæ, ponderibusq; Mali.  
 Nequitia ingenii ne nobile turpet acumen;  
 Nec fallant animam dogmata falsa piæ.  
 Nam mala corrumpunt mores exempla bonorum;  
 Inquinat infontum corda libido virum.  
 Temporis exigui spatium perfectus; 85 annos  
 Complevit multos in Pietate senum. Ejus



Ejus mens accepta DEO est; hanc ocyus ergo  
 Ex miserâ hâc vitâ Numen in astra trahit.  
 O te felicem, te terq; quaterq; beatum,  
 RUDOLPHE, ex justis qui cadis antediem!  
 Complevisti annos multos, perfectus in Arte,  
 Moribus & linguis, in Pietate, Fide.  
 Ars atas tua; canicies Sapientia; Honestas  
 Vita inculpata vera senecta tua.  
 Mens tua grata DEO fuit; hinc in flore juventa  
 Ferris ad aetherea regna beata domus.  
 Nunc felix Cæli cape gaudia, premia Justis  
 Quæ tribuit gratis pro Pietate DEUS.  
 FELICES JUSTI! quia vivunt; munus eorum Sap. 5. 16.  
 Est DOMINUS: Justos curat, amatq; DEUS.  
 Eodem Autore.



Q Uas lacrymas, Rudolphe, meum testantia amorem  
 Carmina quæ fundam? negat atrâ nube doloris  
 Condita Musa melos, tua quod sibi poscere virtus  
 Præveniens annos & canos jure videtur.  
 Non ego commemorabo tuæ primordia vitæ,  
 Non studium Matris, teneram quæ fingere mentem,  
 Non Patris doctos, queis te formare, labores,  
 Vix puerum cæpit, juvenis certare virorum  
 Ut cuivis posses, seu cultu cernere linguæ  
 Hebrææ, Grajæ, Latîæ, certare Sophorum  
 Seu dubijs velles, seu culta sacraria divum  
 Executere ac nodos, quos nexerat hæresis, arcu  
 Divini gladio velles rescindere Verbi.  
 Ista canant alij, mihi pauca canenda supersunt.  
 Id mirabor ego, doctæ quod lumine mentis  
 Ignotam vulgò doctorum de grege multis,  
 Quin spretam multis divinam ritè Marthesin  
 Cognoras, numerorum arcana recondita noras, Post



Et logarithmorum rationes, calculum & usus.  
Hinc tibi terrarum dimensio cognita, cæli  
Hinc secreta tibi; Hinc elliptica semita septem  
Nota, Planetarum: Hinc, cælum queis pendeat uncis,  
Notum: quis rerum magnes, concordia discors  
Corporis unius fibrarum ut præbeat usus  
Immensos, seculo quæ vix tandem eruta nostro  
Omnia felicis capiebas indole mentis,  
Atq; indefesso studio magnoq; labore  
Mirabare & rimabare suos quoq; navos  
Phæbo. Et quid referam quæ plura arcana tenebas,  
Hinc animus, credo, superiorum incensus amore  
Noluit hisce diu terris subsistere, cælum  
Appetit, solvi morbos è corporis antro  
Optavit, Medicâ quod opem sperabat ab Arre.  
Namq; & in hac glacies tibi fracta & aperta medentum  
Iam fuerant adyta, ac tibi jam sua munera victus  
Chymica Vulcanus præbebat, Floraq; cunctos  
Thesuros, latebras microcosmi sectio aperta  
Ostendit simili brutorum in corpore, corpus  
Hactenus humanum cum occasio dura negaret.  
Talis eras, memorande meo, memorande virorum  
Carmine doctorum. Spes Matris, gloria Patris,  
Exemplo Sociis, dilectus & omnibus, in te  
Hæc qui spectabant, Patriæq; hæc munera ad usus  
Optabant diuturna tibi!  
Ast fuit in fati, fuit immutabile Jovæ,  
Quod sanctum semper, sapiens, nec in utile cuiquam,  
Ingratum quanquam nobis durumq; videtur,  
Decretum: his anima exolvatur corporis arctis  
Nexibus, & subeat fulgentia culmina cæli.  
Fletibus ergo tuum quid, Vir clarissime, Natum,  
Quid gemitu sequeris? Non has revocandus in auras  
Ille prius magni quàm cum vox judicis omnes  
Exciet, æternâ qui teq; tuumq; coronâ  
Nobiscum ornabit, Cuncti contendimus istam

G

Ad



Ad metam, Ergo modus lacrymis, modus asit, & illam  
Expecta lætus lucem, quæ reddat eundem  
Nobis atq; tibi, ô Lux exoptata venito!

*Memoria & benevoli affectus testandi ergo f.*

DANIEL LUDOVICUS Med. Log. & Math. Prof.

XI.

**M**ortales geniti mortales gignimus omnes,  
Hinc cadimus juvenes occidimusq; senes:  
Flebile; peccatum misero quid non parit orbi:  
Quid parient quæ jam plura cuiq; licent?  
Multa satis Mavors juvenum dat corpora letho  
Quin parcis soboli, Phæbe decore, tuæ:  
Dum patriæ clades vastatas undiq; terras  
Flemus; item Christi fata cruenta Gregis,  
Candida dum rigidæ extorres solatia forti  
Quærimus, & forsân quid reperire datur:  
Tum quoq; funebres conturbant omnia planctus,  
Id liquet exemplo, chare Rudolphie, tuo,  
Chare Rudolphie Tuis mihi chare sodalibus, Urbî,  
Chare piis, cœli chare Rudolphie choris:  
Namq; tuus Clarus, quo non præstantior alter  
Et Phæbi & Christi membra levare, Parens  
Dum Christo favet in nobis, ornatq; Lycœum,  
Olli tum subitâ morte Rudolphus obit:  
Spes jucunda Patris, prosperæ columenq; senectæ,  
Et decus & Patriæ pulchra columna Domus  
Quo domus Aonidum sublimibus alta columnis,  
Curia vel celebris posceret ipsa regi:  
Qualia testatur merito Schola plura parentans  
Artibus ut Clariis nobilis esse queat,  
Nestoris annosi vicisset secula, si me  
Dispensata ipsi stamina nente forent;  
At ruit ætatis medio, cheu, flore peremptus,  
Mærorem linquens gloria prima Patri: Ille



Ille gemit, pia turba gemit, Schola, Curia, Templum;  
Serevstæ quæ sunt omnia triste gemunt,  
Certatimq; suis Patres Matresq; coronis  
Exequias ornant, triste ministerium!  
Et nos jam lachrymis, flemus cum flentibus, udi,  
Omnia nam fletus acta moderna cient;  
Sidoniæ fuerat sat flebile, mæror Eliæ:  
Cui non Fautorum, flebile, mæror, erit?  
Parce tamen lachrymis, pia mens, & cætera pensa,  
Quæ ferat hæc nostri provida cura Dei:  
Prædicti fletus & lamentatio nobis  
Sunt, & suspirant, cuncta creata simul,  
Dum pateat nostræ promissa redemptio carnis,  
Inq; bona hic præsens gaudia mæror eat.  
Secula sunt indigna bonis, vicina ruinis  
Venturis, Deus hos præripit ergo malis.  
Flos velut è viridi primùm pulcherrimus horto  
Vellitur, excultus sic Helicone puer.  
Sic fors quem dederat cursum divina peregit,  
Corrupta exiit hîc, egit agenda pius.  
Plorari querulis dignus singultibus esset,  
Ni pia mens cælos ingeniumq; colat.  
Quod cecidit corpus post immortale resurgat,  
Pulveris atq; hujus gloria major erit,  
Et quæcunq; solo sperasset magna caduco,  
Cuncta metit rutilo jam potiora polo:  
Est via communis, scimus, mortalibus agris,  
Et fiunt justo cuncta volente Deo,  
Quot gemit eximios miseranda Bohemia natos,  
Quot, quia jam non sunt, quælibet alma Rachel!  
Defletur Regi functo suus Henricus Anglo,  
Optima regni spes egregiumque jubar.  
Hos pia mens similes aliorum respice casus,  
Sic adimi proprios æquius ipsa feres.

Ga. Talia



Talia cum norit, pergens Pater esse quod audit,  
Conticet ac solito fulcit amore pios.  
Iam qui ploramus, ceu non ploremus, agamus;  
Ultima contracti temporis hora subest.  
O bona mæstarum propera reparatio rerum,  
Et cito jus pressis dicere, Christe, veni!

*Johannes Regius olim Ecclesie Satecensis in Bohemia an-  
tistes, jam cum alijs fidelibus, 3 annos, pro Christo Exi-*

XII

**H**æc dolor! heu lacryma! *WENDLINUS* debita fati  
præda jacet, fati præda cupita jacet.  
Ecce jacet, primiq; perit vernantibus annis,  
Annos qui dignus vivere Nestorios,  
Ille jacet, linguas varias qui edoctus & artes,  
Ut potius insignes anticipare viros.  
Ille jacet, matris spes una ac una voluptas,  
Gloria qui generis magna futurus erat.  
Ah jacet, exemplar rarum & venerabile morum,  
Vitarimatus qui melioris iter.  
Non vixit, vivunt ceu nostro tempore plures,  
Non nisi quos vitæ devius error agit.  
Qui numerus tantum fruges consuivere nati,  
Et Veneri & Baccha nocte dieq; litant.  
O tua quæ im magna est rabies! ô Parca triformis!  
Fasne fuit violam sic violare novam?  
Emeritos, senio fessos, tremulosq; truces,  
Floribus at vernis parcere debueras.  
Quæ fucus parcit, non parcis ad optima nato:  
Nec Patris & Matris spem temerare pudet.  
Impius incedit canã nive tempora sparsus,  
Ceu rosa sed justus rosa calore cadit.  
Cui thalamum Cypru, lautum cui Musa parare  
Tentat, huic tumulum, ô invida Parca, paras.  
Abite in numeros, justas properate querelas,  
Flendaq; *RU DOLPHI* funera slete pij. Pleto



Flere licet, sed flere decet pietatū ad usum,  
 Ipsa suum servat vox gemebunda modum.  
 Ergo tuam mentem mordaci frangere curā  
 Desiste, insigni nomine & arte PATER.  
 Nasci, Denasci lex est communi in orbe,  
 Donatus gnatus, cur? homo natus erat.  
 Num luges, obiit primo quod flore? J E H O V A  
 Sic flores potius, quam rosa sera, placent.  
 Quid versas animo, gnatum didicisse tot artes?  
 Sic didici, veram calica ad astra viam.  
 Spem cecidisse doles Matris, generi q̄ columnam?  
 Irrita spes mundi ac irritus omnis amor.  
 Quid periisse genui stellam pietate coruscantem?  
 Ne videant, quae instant, praeripit hasce Deus.  
 Atq̄ utinam studeant hanc cuncti vivere vitam,  
 Quam, duce te, vixit gnatus in orbe tuus!  
 Quis tibi tunc fiscus, quae nam victoria surget  
 Pluto? & qui stimulus Mors tibi? nullus erit.  
 In memoriam sui quondam discipuli & debita observantia nec  
 non συμπαθίας testandae ergo erga parentes scripsit fecitq̄  
 M. FELIX HAUSSTEDIUS, ad D. Barthol. Diac.

XIII.

**I**N mediis Juveni multorum inimica perito  
 Abscidit (heu) vitæ stamina Parca rosis.  
 Scire cupis nomen? Wendlinum dico Rudolphum,  
 Ire per Exemplum cui rata cura Patris,  
 Quò Patriam multis cumularet laudibus olim,  
 Nunc eam cumulat gloria, honore Patris.  
 Artes & linguas varias juvenilibus annis  
 Noscere in abruptæ sedulitatis erat.  
 Quas vix contingit valido conamine apisci,  
 Quaeis jam frontem etiam ruga senilis arat.  
 Dulcisonos modulos, Phœbo moderante, sciebat  
 Fingere, ducentes saxa, vireta, feras.



Multoties etiam *Latio sermone* movebat  
*Publicitūs*, digno mactus honore, viros.  
 Quin simul *Hebraea gnarus*, Graeque loquela  
 Ex ipso poterat fonte levare sicum.  
*Stellarum* callens numeros, *Physicæq;* latebras  
 Gaudebat *Medicâ* ponere in arte dies.  
 At ramentum haut Artes poterant, variazq; loquela  
 Vertere præproperæ spicula dira necis.  
 Hinc dicas, cunctos *Legem ad vadimonia Mortis*  
*Sistere*: dicta mihi lex ea, dicta tibi:  
 In primis noli, *Juvenum flos*, fidere *flori*  
*Ætatis*. Flores vespere saepe cadunt.  
*Mors nec divitiis*, *Mors nulli* parcat honori,  
 Ordinis atq; ævi funera mixta facit.  
 Non hanc *theriaci* tollunt *alabastra veneni*,  
 Aut *Mithridateis* pharmaca mista modis,  
 Pondera non auri, non nascentis sale gemma:  
 Ense minax rapido demerit omne genus:  
 Hos etiam, sibi qui promittunt *Nestoris annos*.  
*O spes fallaces!* Quam cito cuncta cadunt!  
 Ortum quicquid habet, sequitur suus illud abortus,  
 Atq; perenne nihil vastus hic orbis habet.  
 Ne securus eas, qua nunc tibi volvitur hora,  
 Hora tui forsitan funeris esse potest.  
 Vive ita, ne timeas *Parcarum lege* sequestrâ  
 Occidere in medio floris honore tui.  
 Cui favet, hunc citius *DEUS* evocat orbe maligno,  
 Ne perdant animum crimina mille pium.

Contestandæ *οὐμνησίας* ergὸ ἐξεδίαιον

M. JOHANNES CREMERUS, Archidiaconus ad D. Nicol.

XIV

**G**raja cum *Latiis* divae lugete sorores,  
 Ponite nunc *myrtum*, causa doloris adest,  
 Causa doloris adest, inopinâ morte *Rudolphus*,  
 Dulcis vester amor, vester bonosq; cadit.

II



Et vos b Sorabæ qua jam pro fonte Camænæ  
Castalio colitū parva fluenta Nutbæ,  
Ramos funebri cæpressi spargite, letam  
Ponite nunc laurum, causa doloris adest.  
Causa doloris adest, rapuit mors seva clientem,  
Qui vestra fuerat luxq; decusq; Scholæ.  
Vos Servestani quotquot sub fornice cali  
Bellerophontæis labra rigatis aquis,  
Excitat, Aonij recubent sub tegmine Pindi  
Quos Clarij Pallas dux generosa chori,  
Jam condiscipuli lachrymas suspendite tristem  
Ad tumbam, carmen flebile concinite;  
Occidit in prima tenero lanuginis ævo,  
Annos qui Pyliqs vivere dignus erat.  
Vendeliades vestitu incedite pullo,  
Lamentabilibus plangite corda modis,  
Appenninigenæ colitū seu littora Rheni,  
Seu Nicri, seu vos Ascanis ora tenet;  
Qui vestro generi lumen columenq; futurus,  
Quiq; sua patria fama futurus erat,  
Heu primis florens juvenis præreptus in annis,  
In medio vitæ tramite morte ruit.  
Ornavit triplicis quem mellea gratia linguæ  
Hebrææ, Ausoniæ, Cecropiæq; triplex.  
Plato & Aristoteles terræ decus ambo Pelagæ  
Sunt, quorum Sophia suxit ab ore favos,  
Hipparchi, Euclidis, doctiq; Machaoni artes  
Guaviter excoluit, teste vel invidiâ:  
Cui bonamens fuerat, visa integra, justa voluntas,  
Fato præpropere concidit ante diem!  
Cur invidisti tu parcere nescia Parca  
Terræ ingenii tot genijq; bona?  
Verum quid nimio juvat indulgere dolori.  
Fataq; plus justo dura fuisse queri?  
Quid lugere juvat? Mors certa est, funerū horâ  
Incerta est, manes quinq; suos patimur.



Quos Deus impense charos habet, ocyus ad se  
Et prematurâ morte vocare solet.  
Pestiferâ immundi mundi contage soluti  
Captent letitias deliciasq; poli,  
Vita quot & quantis est tritibus anxia curis  
Hæc nostra, ah miseros eripe, magne Deus.  
Arma fugant Musas, terris discedere fas est,  
Pax floret cœlo, terra cruenta vale.

f. CHRISTOPH. Sowinckel/ Diacon. Seruest.

XV.

RODOLPHUS VVENDELINUS

ἀναρχαμμανοθεῖς.

NUPER SUDO ; HE ! LINUS LUDO.

**Q**uid vitæ carnis? Sudor origine  
Marans per ævum, continuus labor;  
Quid vitæ mentis jam solutæ  
Corpore? Ludus, in arce cœli.  
Olim probatum reddidit id suâ  
Vitæ ipse vates Thræcius, LINUS,  
Sudore multo qui docendo  
Herculis ingenium polivit,  
At mersum acerbo funere, perfido  
Crudelis ictu Discipuli sui,  
Sudore cassum judicârunt  
Ætherios agitare ludos.  
Nunc ecce! restis munit idem quoq;  
Vitæ peractæ sollicito satis  
Cursu RODOLPHUS VVENDELINUS  
Nuper humo ad superos relatus.  
Hic namq; Sudans in Patriæ Scholis  
Multos labores pertulit impiger,  
Fecitq; laudatos profectus  
In studiis clarijsq; linguis,  
Sudoris acti dum varians vicem  
Ludis miscellam gratior, ultima

Post



Post fata, venit gaudiumq;  
 Cum requiete merum æ viternâ,  
 Quod signat ipsum, pignore nominis  
 Sui relicto, ceu tumulo loquens:  
 En! s u d o t e r r i s n u p e r; I d e m h e!  
 L u d o L i n u s m o d o a d a s t r a v e c t u s,  
 H e! L u d o u t a l t e r c a r m i n a j a m L i n u s  
 R e r u m P a r e n t i; L u d o m a g i s L i n o  
 S u d o r i s e x p e r s o m n i s, a t q;  
 M o l e m a l i v a c u u s l a b o r i s,  
 H e! L u d o c u r i s l i b e r a b o m n i b u s,  
 I n t e r q; s a n c t o s c æ l i t u u m c h o r o s  
 L u d e n s, t r i u m p h o s e m p i t e r n u m  
 P r i n c i p e p a r t e m e i s u p e r s t e s,  
 B e l l e! B e a t o s ô t e r & a m p l i u s!  
 Q u o r u m l a b o r e s p e r p e t u i b r e v e s  
 T r a n q u i l l i t a s h æ c t a n t a l u d i  
 N o n h a b i t u r a m o d u m s e c u n d a t,  
 O t e r b e a t u m T e q u o q;, & a m p l i u s!  
 C u i g r a t a n u p e r f o r s e a d e m o b t r i g i t,  
 S u d o r e L u d o s d a n s p e r e n n e s:  
 L u d e, j o c a r e, v a l e, R O D O L P H E!

Evolvebat

M. Ernestus VVulstorpheus Servestâ. Anhaltinus Scholæ Patriæ R.

XVI.

**V**ir præclare, Tui, funebri Carmine, NATI,  
 Audivi vestram, facta referre Scholam;  
 Ut teneris sancte Puer est instructus ab annis,  
 Ut Pueri insedit cultus amorq; DEI,  
 Ut coluit vel honore Suos vel amore Parentes;  
 Hinc præceptores ut coluitq; pios,  
 Imbibit ut doctas studis juvenilibus Artes,  
 Ut didicit varios edere Lingua sonos,  
 Dum Latio ac Grajo sermoni junxit Hebraum,  
 Qui sunt Doctrina lumina magna Sacra;



Utq̄, verecunda conjuncta modestia vitæ,  
 Ut cura pietas, ut gravitasq̄, fuit?  
 Audiui has dotes, has morum dicere laudes,  
 Ac magno gravidas fœnore Mentis opes,  
 Audiui & lacrymas mœsto de pectore fusas  
 Cum lacrymis, cordis cumq̄, dolore mei,  
 Et meritò; qui enim talem non fieret adeptum  
 NATUM? qui columen, gloria, PATRIS erat,  
 Qui desiderium, qui spes, solamen in arctis  
 Rebus, qui seræ Posteritati honos.  
 Hac, inquam, audiui, ac animo suspiria ducens  
 Condolui forti, MAGNE PATRONE, tuæ,  
 Condolui, nec non meditato Carmine vovi,  
 In misera hâc vitæ conditione tuæ,  
 Ut DEUS has lacrymas, gemitus, animiq̄, dolores,  
 Cum tristi vultu pellat agatq̄, procul,  
 Inq̄, locum luctus solatia dulcia cordi  
 Infundat sancti Flaminis aura, tuo:  
 Ne te discrucient vana sine fine querela,  
 Quò possis latos continuare dies;  
 Namq̄, Tuo NATO melior contingere nunquam  
 Sors poterat; Cœli regna beata tenetq̄  
 Hic habet æternæ bonæ non peritura quieti,  
 Hic non terrenis equiparanda bonis.  
 Possidet innocuas ex omni parteq̄, tutas  
 Sedes, hic ubi jam nulla pericla timet,  
 Non timet eruminas, morbos, non tædia vitæ,  
 In quibus humanum mergimur utq̄, genus?  
 Hic videt os faciemq̄, patris, Reſtoris Olympi,  
 Cujus in arbitrio Vitaq̄, Morsq̄, manet,  
 Hicq̄, sui faciem quoq̄, Salvatoris JESU,  
 Hic turmas oculis Angelicasq̄, videt.  
 Hæc tuus ô felix, felix hæc parte RUDOLPHUS!  
 Hunc utinam ô citius, CHRISTE sequamur! Amen.

OBI



OBITUS ETEOSTICHON GEMINUM.  
BIs DVo Dena Dies IVLI, Vt qVoqVe tertla fVLget  
LVX Tibi Mensis, oVans Orbe RVDILphVs able.

JOHANNES AGATHONUS PRAGENSIS,  
*olim Civis Consularis Currembergensis.*

XVII.

**G**Rande Dei donum, soboles, pia, grande parentum  
Solamen vitæ, deliciasq; parit.

Sed brevis interdum tanti est possessio doni,  
Nec stabilem cursum gaudia nostra tenent.

Exemplo ista suo VVendlino sanguine natus,  
Ingenio quævis natus ad alta, probat,

VVendlino ille satus præstanti patre RUDOLPHUS,

Qui regit illustris docta Lycæa domus:

Carus erat superis, carus pietate propinquis,  
Atq; hos affectu qui coluere pio.

Doctus amare DEUM, doctus redamare parentes,

Doctrinâ haud præstans quàm probitate minus:

Idem etiam juvenis florentibus integer annis,

Nestoreos visus vivere posse dies,

Jam nunc exanimis succiq; & sanguinis expers

(Humanæ vitæ tristis imago) jacet.

Mors tamen hæc non mors debet jacturaq; dici,

Sed gradus ad vitam, transitus atq;, novam.

Decesit mundo, pelago, lernæq; malorum,

Dignus at est stabili pace, bonisq; frui.

Decesit carni, quo non fallacior hostis;

Peccati at vivit tutus ab illecebris.

Decesit terris; patriæ at cælestis alumnus

Angelici & confors audit, ovatq; chori.

Hic ubi inaccessæ discit mysteria lucis,

Perpetis & lauri præmia firma capit.

Parcite jam multis, materq;, paterq;, querelis:

Hæc pietas luctus non amat immodicos.

Sic placitum Domino, cui jus vitæq; necisq;

Soli est, deq; ejus pendet utramq; manu.

H 2

Sic



Sic Pater ille potens hominum, rerumq; reposcitur,  
 Quæ sua terrigenis credere dona solet.  
 Dat quibus, aut ubi, vult, rursus aufert, optima semper  
 Ipse suæ lex est, norma; , justitiæ.  
 Seu det, quando libet, seu non, atq; auferat idem,  
 Est bonus, est justus; constat ubiq; sibi.  
 Felix, qui memori hæc perpendit pectore: felix  
 Committit soli qui sua, seq; D E O.

M. Florianus Ægidij Zhiticensis Sob.

XVIII.

**O**mnis in hoc Gnato stabat pia cura Parentum,  
 Atq; volebat ei tam bene uterq; parans  
 Ut non cessaret noctesq; diesq; sacras  
 Pro decumbentis ferre salute preces.  
 Quos cordis gemitus, iteratq; vota precantem,  
 Non duræ Omnipotens respuit aure DEUS.  
 Et caro hinc capiti eternam dedit ecce salutem,  
 Et cunctas Christi salvificantis opes.  
 Ergo desinite, o lacrimarum, queso parentes,  
 Nam vester Gnatus, quod petiistis, habet;  
 Et plus quam petiistis habet, vos, nempe salutem  
 Et fluxam à Superis voce rogastis opem.  
 Ast Superi eternam gratis tribuere salutem,  
 Quam nunc in cæli sede beatus ovar.  
 Ille quidem ostensus terris tantummodo, vis à  
 Nestora, ab vis à perpetuo dignus erat  
 Ut donis variisq; bonis, quæ dives habebat,  
 Orassit patriam, non sine laude solum.  
 Ast aliter jus sit voluitq; Jehovah supremus,  
 Cujus facta æquo pectore ferre decet.  
 Nobis sit visus primis ereptus in annis,  
 Ante Deum sed erat religione senex.

M. Martinus Cramer

ἡς οὐρανῶν ἰσχυρῶν

XXI



XIX.

**C**ulpasti nuper Clothonis jura, Rodolphē,  
 Colsius quando junior occubuit:  
 Scilicet orbatas sic Flore fuisse Camænas,  
 Matrem ornamento, spe Patriam, atq; Patrē.  
 Sed quis nunc Parca non culpet & improbet ausus?  
 Quod sua consperfit sanguine tela tuo.  
 Si puer in tenerâ cui demum creverat herbâ  
 Messis, tam magni causa doloris erat.  
 Cujus non oculos flens perfundat, & ipsa  
 Occasus feriat corda Rodolphæ, tuus?  
 Tu jam Palma velut frondes fructusque ferebas,  
 Grata Tuis potuit sub quibus esse quies.  
 O Mors crudelis! quæ te inclementia adigit,  
 Hinc Palmam nostris eripere ex oculis?  
**CHRISTUS** eam voluit cœlestibus inferere hortis:  
 Pulcra tamen moestis planta relicta Patri est.  
 Hæc est **FRIDRICVS** curarum expulzor, ei Dî  
 Annos, Ingenium dent sine labe Patris.  
 Vos verò, ô Musæ, feris redimite Rodolphî  
 Cervicem, succis ungitæ & ossa rotæ.  
 Tu quoque Anhaltini Phœbi Studiosa jurentus,  
 Defuncti laudes scribe Maronis a. u.  
 Optima ceu nostri pars vivit in æthere Rodolphî,  
 Urque hæc exuvias corporis urna tenet:  
 Illius vigeant sic laudes perpere cursu,  
 Nomen & assiduo docta per ora volet.

*Thomas Mlinsky Sacenus.*

XX.

**T**unc etiam in partem venisti mortis acerba,  
 Statq; colo vacuo juveni tibi Parca, Rudolphes  
 Nec tua te virtus, tuæ nec doctrina, nec illa  
 Excusare potest prima lanuginis ætas?  
 Heu dolor! heu lacrumæ! quantam inclementia mortis  
 Unâ falce simul juvenesq; senesq; metentis!

H 3

Ta



Tu, cui nil facilis natura negaverat unquam  
Ipsa, virens moreris juvenis florentibus annis.  
Nil juvat, in valido quamvis sint corpore vires,  
Dira venenato mors demetit omnia morfu.  
Spes requiesq; patris, nec non solatia matris  
Nuper eras, quid nunc? summi nisi causa doloris?  
Vincere dignus eras vivendo Nestoris annos,  
Egregius cultor Medicinæ atq; Artis amator.  
Optima sic rapiunt non raro fata Deusq;!  
Intereâ nos te lugemus funere ademptum:  
Adsunt & Musæ, quæ complent fletibus auras;  
Cum Musis Charites, cum Suadâ lluget Apollo.  
Fas tamen omnino est Domino parere vocanti;  
Omnibus hæc via: nam cunctis stat terminus ævi  
Certus, quem nulli liceat transire virorum.  
Nec tuæ te virtus, tua nec doctrina, nec illa  
Excusare potest primæ lanuginis ætas.  
Parta Redemptoris tibi sunt per vulnera Christi  
Gaudia: Parta tibi nunc sunt certissima cæli  
Præmia, quæ nemo perceperit auribus unquam,  
Nemo satû linguâ possit memorare vel ore.  
Et sanè hoc tristi quis tempore vivere malit?  
Omnia quo sevo perdit Bellona flagello;  
Omnia dissidiis ardent ac cade nefandâ.  
O te felicem potius! cui Patria cælum,  
Nullâ ubi mors, nullusq; dolor, certamina nulla,  
Sed modò perpetuæ præsentia gaudia vitæ!  
O te felicem! ô te terq; quaterq; beatum!  
Jam tibi parta quies: tu post certamina mundâ  
Inter cœlicolas lætus nunc vivis opaq;.

Conradus Kisvveticius.



## XXI.

**N**il adeo horrendæ jus irrevocabile mortis  
 Effugit, aut iram, *Parca* maligna, tuâ?  
 Nil animi integritas, nil virtus enthea prodest?  
 Nil doctâ mentes excolere arte juvat?  
 Stat sua cuiq; dies, stat inexorable fatum:  
*Parcarum* nescit parcere sæva manus.  
 Et te mors tristis rapit, ô Rudolphe, Sodalis  
 Chare, immaturâ heu morte perempt, abis!  
 Siccin' abis igitur, tristesq; relinquis amicos!  
 Quo fugis, ô Clarii luxq; decusq; chori!  
 Tu solamen eras ante hæc, tu cura parentum:  
 Nunc dolor & luctus causa caputq; novi.  
 Tu, nisi fili Deus vitæ tibi longa negasset,  
 Fama tui generis lausq; futurus eras. (unde  
 Hoc pudor & probitas, hoc signa modestiæ ab-  
 Spondebant, gratus blando & in ore lepos.  
 Nec non progressus Studiorum laude vehendi:  
 Dignus & hinc fueras jam meliore loco.  
 Quare aliter visum Summo placitumq; Jehovah,  
 In cuius nostra est vita caduca manu.  
 Incolis optatam patriam, nos interim in huius  
 Mundi polluto deseris hospitio.  
 Ergo siste, Pater, lacrymarum flumina, Mater  
 Ob Gnati funus parce rigare genas.  
 Quandoquidem illa dies, vitæ quæ finiet usum,  
 Restituet vobis hunc meliore modo.  
 Ingenti tumulus florum frondescat honore,  
 Deniq; sub tumulo molliter ossa cubent.  
 Cumq; Suprema dies perituro illuxerit orbi,  
 Corpus humo positum cœlica regna petat.  
 Viribus ergo, homines, nimum ne fidite vestris,  
 Nil vires, ætas ingeniumq; valent.  
 Godofredus Richter, Cosvicensis, Anhalt.

## XXII.

**L**uge *Castalidum* decus sororum:  
 Luge, *Phæbe*, Boni repertor, atq;  
 Cultor *Pæoniae* perennis artis;  
 Luge *Nereidum* cohors; Dearum  
 Et quicquid superest *venustiorum*,  
 Et quantum est *hominum modestiorum*;  
 Confortes decet esse vos doloris  
 Tanti: *Parca* ferox enim **RUDOLPHUM**  
*Natura*, *Medica* rei; alumnus,

Extinxit properantior *Fato*.

Addictam ingenuis piam *Camænis*  
 Prolem sustulit: Hæc ut huius ævi  
 Plures conderet ampliando soles,  
 Non ætas, probitas, celebris ortus,  
 Non vena ingenii benigna rari,  
 Non virtus potuit paterna favam  
 Hanc placare DEAM, piæ aut peractæ  
 Matris vota: *Soror* rapax ita ulli  
 Nescit parcere: juris ô rigorem  
*Parcarum*! *Lachesis* nimis severam!  
 Pectus, præsidium meum, voluptas,  
 Cordis pars potior mei recessit.  
 Tecum nunc mea vota nuncupata,  
 Et spes ampla jacet sepulta tecum.  
 In Vita hac sine te nihil putabat  
 Lætum mens mea; jam nihil per orbem  
 Jucundum mea mens nihil putabit.  
 Nil res talia, nil *Camæna* flebis.

Distichon ejusdem Obitus.

(nemo  
 Annum, Mensem, Diem & propè Horam contio  
 Ut fax affurgit IULI ter nona ab Eoo,  
 RUDOLPHUS Moriens regna beata petit.

Aliud Eteostichon

Symbolum. Iphius complectens. [phVæ  
 Ut VIVat Morit Vr florenti a tate RVDOL-  
 Serbestæ, Patriæ & spes bona Patriis erat.  
 Intimæ *συμπαιφίας* & summi desiderii  
 attestandi ergo adjecit  
 Georgius Viricus Venningi, Palatini, Stud.

## XXIII.

**H**eu diræ cecidit mortis grassante furore  
 Juvenis senectæ Nestoris dignissimus!  
 Quem linguas multas, quem oracula prisca Sos  
 Apollo præses Musici docuit chori. (phorū  
 Quem facili instruxit verus effundere vena  
 Camæna, mentes ut modis inflecteret  
 Quem *Phæbus* medica doctissimus arte polivit,  
 Ut ferret ægotis opem languentibus.  
 Dulce decus Patriæ qui præsidiumq; futurus  
 Erat, sub annis mollibus mortem petit!  
 Vos igitur *Musa*, vos vatum numina flete,  
 Vestriq; deplorate alumni funera.

Ex

Vos



Vos etiam juvenes, pietatis & artis alumni,  
Lugete vos Commilitonis funera.  
Vos tandem vestri, vos o lugete parentes,  
Lugete pramatura nati funera.  
Ne tamen excedant curæ lacrymæq; cavete,  
Pagella quem divina præscribit, modum.  
Nam natus vester, licet hoc excefferit orbe,  
Et lumina ipso in flore vitæ clauserit:

Attamen haud perijt, verum modo præijt ipse  
Latissimæ promissa in arva patriæ,  
Hic ubi nunc Sacro diffundit júbila plausu  
Summo Deo cum flammeis cœli incolis  
Hic ubi nunc fruitur summa sine fine quiete,  
Quiete, quam dat filiis Deus suis.

Daniel Sachsius, Gymnasij Ser-  
vestani alumnus:

XXIV.

**S**iste, viator, iter paulum: te hæc urna monebit,  
Quæ menti nunquam condere pœniteat:  
Virtutum exemplar, morum, pietatis & artis  
Ætatem excedens hæc requiescit humo.  
Scilicet arbitrio stamus cadimusq; Jehovah,  
Virgo, Senex, Jjuvenis, Nupta, Maritus, Anus.  
Disce igitur vitam componere, disce, viator:  
Mors vitam sequitur non nisi sancta piam.

Balthasar Sturmius.

XXV.

**N**ec tamen obtinuit sibi quod mors atra volebat  
Imperium in vitam, docte Rudolphe, tuam.  
Nimirum ingenio vivis, super æthera vivis,  
Nec te Musa sinit docta per ora mori  
Vive igitur felix, perpes super æthera vive,  
Fama tui & nobis ipsa perrennis erit.

Gottfridus Sturmius.

**F I N I S.**



Cl 1926

ULB Halle 3  
001 556 118



Stk. 6 = Handschrift


Sb.

Paul Friedrich  
Buchbindereimeritor  
Merseburg a. S.


1017











Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------

109

RIA  
**LPHI**  
 ELINI  
 MMENDATA  
 O VVENDELINO,  
 tre:nec non alijs Fau-  
 & sodalibus,  
*atinentur monita, de cursu stu-*  
*entia rectè dirigendo.*  
 TAE  
 E BEZELII,  
 .XXXV.

